





46
Q. D. B. V.
DISPUTATIO ACADEMICA,
De
IDEIS DIVINIS,

Quam
DIVINA BENIGNITATE ANNUENTE
ET

Amplissimo Collegio Philo-
sophico Consentiente

in Florentissima

A C A D E M I A J E N E N S I,

P R Æ S I D E

VIRO PRÆCLARISSIMO atque DOCTISSIMO

DN. M. JOHAN. ADOLPHO
FRONIO,

Mülhusa Thur.

Fautore suo estimatissimo,

publicè defendere conabitur

JOH. ABRAHAMUS POSSELTUS,

Zittaviâ Lusatus,

A U T O R,

In AUDITORIO PHILOSOPHORUM,

ad diem Mart. Anno M DC LXXV.

J E N Æ,
Literis WERTHERIANIS.

INCLYTÆ REIPUBLICÆ
ZITTAVIENSIIUM
PROCERIBUS ET PATRIBUS
DNNN.

CONSULIBUS,
PRÆTORIBUS,

cæterisque
SENATORIBUS,

VIRIS

*Magnificis, Perquam Generoso, Nobilissimis, Am-
plissimis, Consultissimis, Spectatissimis, Prudentissimis, omni-
que eruditione Instructissimis,*

DNNN. Meccœnatibus, Patronis, &
studiorum suorum Promotoribus, nullo non
honoris ac obsequii cultu prosequen-
dis, devenerandis.

Disputationem hanc Philosophicam
in studiorum suorum commen-
dationem

consecrat

devotissimus Cultor

JOH. ABRAHAMUS POSSELTUS,
SS. Theol. Studiosus,
AUTOR.



I. N. D.

DISPUTATIO

De

I D E I S D I V I N I S.

Forma boni, livore carens, Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.



Verbis his non minus concinnis quam eruditis in aureo suo de Conf. Phil. Libro Divinum Numen affatur Boëthius, & omnia hujus universi opera miro ordine disposita, admirando artificio exstructa tribuit superno NUMINIS O.M. exemplo, à quo ENTHEA ILLA MENS cuncta duxerit, imperscrutabili sua omnipotentia condens *καὶ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα* juxta principalem & originalem suam formam, quam mente sua ab æterno fovit. Ipse enim pulcherrimus mundum hunc pulchrum in luce inaccessa à sempiternis gessit seculis. Jure itaque augustus Pater Augustinus ait: *Tantam vim in Ideis Divinis esse positam, ut nisi eis intellectis nemo sapiens esse possit: Nec abluat ab hoc Plato, dum eum, qui ideas contemplatur, dixit Victurum esse Deum inter homines.* Augustinianis Verbis fidem facio hisce: Quis sapiens? Nonne is qui primas rerum causas solerti indagine mentis perscrutatur. Scrutari ideas Divinas quid est aliud? quam se immerfare profundis contemplationibus CAUSÆ PRIMÆ, DEI nempe Termaximi, ejusque RATIONUM sempiternarum & incommutabilium, juxta quas omnia, quæ quocunque modo aliunde entitatem participant, sunt facta. Certa quoque ratione stabit Platonicum illud: *Qui contemplatur ideas Deus erit inter homines; non quidem essentia infinita & interminabili, aliquali tamen ὁμοιωσὶς & simi-*

litudine. Cognoscens enim & cognitum, contemplans & id quod quis contemplatur suo modo quin assimilentur, nullus dubito. A scopo itaque me haut aberraturum existimo, si Thesisibus hisce in id allaboravero, ut de Ideis Divinis si non audacter loqui, trepidante tamen lingua balbutire audeam. Spiritus S. divina sua gratia à summo NUMINE Ideis pleno faveat nostris cœptis, gratiosè Ideis mentis nostræ allabatur, ne difforme quid à Divina MENTE cogitemus, asseramus, operemur.

§. 1. *De existentia Idearum Divinarum* dubium inter eruditos ferè est nullum. Illi enim qui Deum & divina ex natura accuratius investigare valent, certi sunt de Ideis Divinis, inducti I. *Via causalitatis*. Dum sapientes intuentur vastissimam hanc mundi machinam, & omnia, quæ in ea sunt, tam sapienter, tam concinne atque aff. bre esse condita, tantaque ordinis harmonia, optime in suis actionibus & passionibus, motu & quiete coherere, proclivi nexu colligunt exinde causam, à qua hæc proficiscuntur, non fortuito aut casuali cursu se gerere, non inconsiderate operari, sed instar architecti sapientissimi juxta ideas mentis suæ omnia agere. Lapis sit oportet, quem ad Rationum Intellectualium in Divina Mente existentium contemplationem aut aliqualem ad minimum animadversionem non moveant ACTIONES PROVIDENTIÆ Divinæ (1) *Conservatrices* per sustentationem & creaturarum propagationem se exerentes. (2) *Gubernatrices* quibus Divinæ Mentis activitas occupatur Genus Humanum curando, civilem societatem custodiendo, atrocia scelera puniendo, justos præmiis ornando &c. Ex his enim actionibus *Via causalitatis* tribus quasi gradibus completur, ut nemo non eam ingressus conspiciat DEUM ut causam (1) procreantem (2) conservantem (3) corrumpentem, eamque non quocunque modo, non inconsiderate, sed sapientissime juxta ideam mentis suæ, quicquid procreat, procreantem, quicquid conservat, conservantem, quicquid corrumpit, corrumpentem.

§. 2. Ab hac *Via* digressi Sapientiores ingrediuntur II. *Viam Eminentie* ita concludentes: Omnes Perfectiones, quæ in creaturis reperiuntur, in DEO quoque O. M. tanquam Prima omnium creaturarum Causa, sunt ponendæ: Et quidem si sunt per-
fe-

fectiones ex numero earum, quæ secundum quid & in certo genere tales dicuntur, saltem eminenter seu virtualiter; si verò sunt perfectiones simpliciter tales, formaliter in Deo inveniuntur. Ideæ rerum vel simpliciter cognitarum vel simul producendarum revera dantur in creaturis ratione pollentibus, & præterea præcise consideratæ in sua ratione formali involvunt perfectionem cum nulla imperfectione conjunctam. Ex quo fluit, Ideas tanquam Perfectiones simpliciter tales in Deo non solum eminenter sed revera & formaliter asserendas esse.

§. 3. Tandem non plane sicco pede prætereunt III. *Viam Negationis*: Cum enim omnes imperfectiones ab infinita Numinis Essentia quam longissime sint removendæ; Inconsiderate autem & absque expresso mentis conceptu agere sit luculentissimum imperfectionis indicium: Idcirco de DEO negandum, erit quod inconsiderate & absque expresso mentis conceptu aliquid agat, & consequenter oppositum de eo erit affirmandum, quod nempe omnia, quæ agit, considerate & juxta expressum mentis conceptum i. e. juxta ideam suam agat.

§. 4. De formali IDEARUM Divinarum Quidditate discrepantes sunt Philosophorum sententiæ: *Aliis* ponentibus eas in ipsis rebus intellectui Divino objectis formaliter quæ cognitæ: *Aliis* in Essentia Divina præcise sub ratione conceptus objectivi sumpta, quæ cognita ab intellectu Divino. *Aliis* in Essentia Divina sub ratione conceptus formalis accepta formaliter quæ cognoscens. Argumenta, quibus quælibet sententia nititur, alibi fusius diducta hic supponimus & levi saltem brachio medios terminos tangendo, sententiam vero magis consentaneam sequentes mentem nostram explicamus sequentibus.

§. 5. *Ideæ Divinæ non sunt res ipsæ extra Deum ab eo cognitæ* (1) quia Ideæ Divinæ repræsentant objecta à DEO cognitæ. Res autem extra Deum ab eodem cognitæ seipsas repræsentare non possunt. In specie de Ideis Divinis Practicis procedit assertio. (2) quia Ideæ Divinæ Pract. sunt rationes effectivæ rerum, nulla autem res divinæ menti objectæ sui ipsius ratio effectiva esse potest. (3) quia, cum Deus nihil quicquam agat nisi sub ratione effectiva concurrentibus ipsis Ideis, sequeretur DEUM nul-

lam producere creaturam, nisi sub effectiva ratione concurrente ipsa creatura, quod absurdum. (4.) quia *Ideæ Divinæ Practicæ* sunt rationes causativæ non solum in suo genere, Exemplarium nempe causarum, sed & absolute & simpliciter primæ, omnis omnino imperfectionis expertes, quæ rei creatæ, etiam ut à Divino intellectu cognitæ, non conveniunt.

§. 6. *Ideæ Divinæ non sunt Essentia Divina præcisa omni cognitione & formali & objectiva*: Idea enim repræsentative debet continere id cujus est idea: Essentia autem Divina præcise absque omni cognitione considerata repræsentative non continet ideatum, quamvis sæpe eminenti virtute illud vi omnipotentia contineat.

§. 7. *Ideæ Divinæ non sunt Essentia Divina intelligibiliter & sub ratione conceptus objectivi præcise sumta*: (1.) quia Essentia Divina h. m. sumta plurimis ideatis dissimilis est: Quod enim, concernit ideata extra Deum, quoad illorum proprium esse nullam planè cum iis convenientiam habet essentia D. h. m. accepta. Et nimium quantum quoque distat in ratione communi ab illis: Licet enim adumbratio quædam Dei detur in creaturis quoad esse vivere & intelligere, ingens tamen dissimilitudo adhuc cernitur, si cum esse vivere & intelligere DEI comparentur. Præterea posita aliquali similitudine, nondum tamen adest sufficiens *Ideæ ratio*. Ad hanc enim requiritur vel *similitudo formalis* vel ad minimum *similitudo repræsentativa* in ordine ad rationem ideati propriam; quales similitudines in Essentia Divina h. m. sumta non dantur. (2) Res sunt factibiles in ordine ad Artem Divinam Ideas Practicas comprehendentem. Sicut proinde ars finita semper est aliquid intellectuus, sic etiam analogice Ars Divina est ipsa Dei essentia non intelligibiliter sed intellectualiter sumta, & consequenter *Ideæ quoq;*, & quidem practicæ, utpote quæ Artem Divinam, nostro modo intelligendi, absque omni tamen imperfectione complent, non erunt Essentia Divina intelligibiliter & præcise sub ratione conceptus objectivi sumta.

§. 8. *Ideæ Divinæ sunt Essentia DEI intellectualiter sumta, quæ, nostro concipiendi modo, ut conceptus formalis intellectus*

ap-

apprehenditur: quia *Essentia Divina h. m.* sumpta proxime est re-
præsentativa omnium omnino ideatorum, iisque non solum,
quoad communem sed & propriam rationem assimilatur. Simi-
litudo intellectualis intentionalis & repræsentativa optime cum
dissimilitudine entitativa consistere potest. Hinc quamvis *Es-*
sentia intellectualiter sumpta ideatis extra Deum existentibus en-
titative dissimilis sit quoad rationem illorum specificam & dis-
cretivam, repræsentative tamen iis quoad eandem rationem est
similis. Deus enim, ideata extra se producens, omnes eorum
essendi gradus & genericos & específicos mente concepit & re-
præsentavit antequam produceret. Eo modo, quo fere, (si par-
va licet componere magnis) architectus ædificii extruendi re-
præsentativam similitudinem cum entitativa dissimilitudine in
intellectu suo fovet. Conceptus enim idealis ædificii quamvis
illud quoad omnem artificialem rationem repræsentet, ipsi ta-
men ædificio, utpote res spiritualis materiali, entitative prorsus
est dissimilis.

§. 9. His positis *describi* poterunt *IDEÆ DIVINÆ*, quod
sint *conceptus formales in Mente Divina rerum omnium representa-*
tivi. Quæ *Descriptio* duplicem involvit respectum: Alterum
ad *subjectum* Mentem nempe Divinam, cui *Ideæ* insunt non per
inhæxivam inexistentiæ accidentibus propriam, sed per simpli-
cissimam identitatem: Alterum ad *objecta* quæ per ideas Divi-
nas repræsentantur.

§. 10. Ab his *objectis IDEARUM DIVINARUM Divisio*
desumi potest. Pro diversitate enim *objectorum diversæ quo-*
que sunt Dei Ideæ. Si res *objectæ* aut *productæ* sunt, aut pro-
duci possunt, tunc illarum *Ideæ* in Divina Mente dicuntur *Præli-*
cæ: Si verò res *objectæ* nec *productæ* sunt nec produci possunt,
tunc illarum *ideæ* dicuntur *speculative*:

§. 11. *Descriptiones* harum erunt tales. *Ideæ Divinæ Pra-*
cticæ sunt Ideæ rerum à Deo factibilium. *Ideæ* verò Divinæ *spe-*
culativæ sunt Ideæ rerum à Deo non factibilium sed simpliciter co-
gnitarum. Hæ *Descriptiones* ut fiant manifestiores, ex specia-
liori ad *objecta* singula descensu majorem haurient lucem.

§. 12. *In Mente Divina datur ipsius Dei idea.* quod tali ra-
tio-

tiocinio probō: *Quicquid Deus cognoscit, illius conceptus formalis representativus datur in mente Divina.* Atqui Deus seipsum cognoscit. E. Dei conceptus formalis representativus datur in mente Divina. Major probatur. Quia omnis cognitio objecti fit mediante repræsentatione objecti. Ut hoc fiat clarius, notandum, quod repræsentatio objecti peragatur vel per speciem intelligibilem, ut in intellectu finito, vel citra interventum speciei intelligibilis modo infinito per ipsam essentiam cognoscentis, ut in Intellectu Increato; Deus enim cognoscit se ipsum per se immediate, ita ut intellectus cognoscens, objectum cognitum & actus cognoscendi sint simplicissime, quod ad rem attinet, unum & idem, ut non opus habeat speciebus intelligibilibus in sui ipsius cognitione. Nec in cognitione aliarum rerum iisdem indiget, cum intellectus Divinus contineat in se, præcisus aliis omnibus, eminenti modo vim intelligendi completam absque ullius adscitio speciei intelligibilis adminiculo. Imò species intelligibiles Entium extra Deum existentium repugnant omnino ipsi Deo, cum ex parte intellectus recipientis importent potentiam receptivam sui, propter quod etiam respectu intellectus possibilis vocantur impressæ. Sunt enim actus relative sumti, qui necessariò respiciunt potentiam passivam in eo subjecto, cui insunt. Potentia autem receptiva seu passiva in Deo nulla dari potest. E. nec species intelligibiles, utpote quæ in nullo subjecto stabulantur, absque prævia passione & receptione in subjecto.

§. 13. Minorem, quod nempe Deus seipsum cognoscat, extra morosam disceptationem positam esse arbitror, & facile potest probari hisce: (1) Quia cognitio sui ipsius, tanquam actus secundus ab intellectu vel re ipsa vel saltem nostro concipiendi modo promanans, inque eodem juxta naturalem ejus propensionem vel inhæsiōem vel per identitatem simplicem permanens, non proletariam dicit perfectionem. Omne autem quod infert perfectionem est in Deo, tanquam Ente ratione perfectionis infinito & omnium rerum perfectiones si non formaliter tamen eminenter continente. E. cognitio sui ipsius, tanquam perfectio simpliciter talis in sua ratione propria habens perfectionem cum nulla imperfectione mixtam, reperietur in Deo. Dubitari

ri

ri quidem potest, an hæc cognitio Dei commode possit dici a-
ctus secundus, cum actus cognoscendi secundus sit cognitio ab a-
ctu primo cognoscitivo realiter producta: In Deo autem non
datur actio realiter producta, eo quia talismodi productio sim-
plicitati Divinæ repugnat. Sed huic dubio obviam ibitur, si dica-
tur: Actum primum & secundum, prout communiter & creatis
& increato tribuuntur, sumi præcisive, non attendendo, an actus
primus & secundus interveniente reali productione realiter dif-
ferant, an non? Ita ut realem productionem & distinctionem
nec dicant nec negent, sed partim de iis, in quibus realis produ-
ctio & distinctio locum habere possunt, partim de iis, in quibus
hæc consistere nequeunt, affirmari vere possint.

§. 14. (2) Probatur ita: Quicquid est vivens intentiona-
le perfectissimum, illud etiam intelligit objectum perfectissi-
mum, Atqui Deus est vivens intentionale perfectissimum, E.
Deus intelligit objectum perfectissimum. Objectum autem
perfectissimum seu intelligibile primarium esse illud, cui omnia,
quæ qualemcunque participant perfectionem in rerum natura,
suos deferunt natales, DEUM O. M. nempe, cui juxta effatum
Philosophi L. 11. Met. 7. Ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχῆς καὶ αἰδῖος ἀπαρχαί,
nemo sanus inficias ibit. Sapientiorum enim Scripta nusquam
non asserunt DEUM esse duplici ratione objectum perfectissi-
mum (1) ratione perfectionis absolutè sumtæ. Inter omnia e-
nim Entia, quæ quocunque modo cognoscuntur, Deus summam
possidet perfectionem (2) ratione adæquationis. Sicut enim
vis intellectiva & actualis intellectio DEI infinita est in genere
potentiæ actusque cognoscentis, sic Deus ipse infinitus est in ge-
nere objecti intelligibilis.

§. 15. (3.) Probatur: Quicquid est objectum intelligibi-
le creaturæ intellectivæ, illud quoque longè excellentiori modo
erit objectum intelligibile ipsius Creatoris tanquam Agentis in-
tellectivi Eminentissimi. Atqui DEUS est objectum intelligibi-
le creaturæ intellectivæ v. g. hominis aut Angeli DEUM cogno-
scentis E. (4.) probatur. Si Spiritus creati per actum reflexum
seipso cognoscunt, multo magis DEUS seipsum cognoscet, sed
prius est E. Consequentiam nemo negabit, nisi qui viam causa-
li-

B

li-

litatis & Eminentia in cognitione DEI ignorat. Prius nititur experientia: Hanc quippe potentia cognoscitiva intellectualis prerogativam habet pra potentia cognoscitiva sensuali, quod haec actibus suis materialibus & organicis nunquam supra seipsam possit reflecti, illa autem actibus suis in sua essentia inorganicis & immaterialibus hoc possit. (5.) Idem asserit Arist. L. 12. Met. c. 9. his verbis: Ἐπὶ εἴτε νῦν ἢ ἔσθ' αὐτῶν; εἴτε νόησις ἴσθι, τί νοεῖς; ἢ ἡδ' αὐτὸς αὐτὸν, ἢ ἕτερόν τι; Δῆλον τοίνυν, ὅτι τὸ Θεϊότατον ἢ τιμιώτατον νοεῖ, καὶ ἔμεταβάλλει. Sed ne soli radios affundere velle videamur, reliquas probationes mittimus.

§. 16. Stante nunc hoc: Quod DEUS seipsum cognoscat, stabit etiam, quod conceptus formalis DEI representativus datur in mente Divina. Unde ulterius fluit hoc Argumentum: *In quocunque datur conceptus formalis representativus Dei, in illo quoque datur Idea Dei.* Quia idea Dei & conceptus formalis representativus Dei sunt idem. *Atqui in Divina Mente datur conceptus formalis representativus Dei, ut haecenus probatum: E. In Divina Mente datur idea ipsius Dei. o. e. d.*

§. 17. *In mente Divina datur ipsius Dei Idea Speculativa non practica:* Probatio his absolvitur fundamentis: (1) Cujuscunque tanquam objecti à Deo non factibilis sed simpliciter cogniti conceptus formalis representativus datur in mente Divina, illius objecti tantum speculativa & non practica idea in mente Divina datur, quod patet ex §. 11. Atqui DEI tanquam objecti à seipso non factibilis; sed simpliciter cogniti, conceptus formalis representativus datur in Mente Divina. E. DEI tantum speculativa & non practica Idea in ipsius mente datur. Minor probatur. Sicut DEUS à parte rei est infinitus & ratione durationis & ratione essentiae, sic super eum per simplicissimam identitatem etiam fertur intellectus Divinus, & consequenter in Mente Divina datur conceptus formalis DEI, tanquam objecti nec facti nec factibilis, quale est infinitum Numen. Si enim Deus finitus esset ratione essentiae, ut terminos ejusdem vel à parte ante, vel à parte post admitteret, tunc esset ab alio, & consequenter non esset DEUS. Nam omnis Essentia per hoc definitos sui terminos & limites agnoscit, quod à sua causa esse communicatum posside-

deat, & quidem tale ac tantum, quale ac quantum causa produ-
ctiva cōferre voluit aut potuit. Deo autem repugnat habere cau-
sam, cum sit Ens omnium primum & perfectissimum, testimoni-
um dicente cujuslibet sana ratione utentis hominis conceptu,
quē, audita voce Deus, de ipso naturali quodam instinctu format.

§. 18. (2) Si in DEO daretur idea sui ipsius practica, seque-
retur DEUM seipsum produxisse: Sed DEUS seipsum non pro-
duxit: E. in DEO non datur idea sui ipsius practica. Major
probat; quia Idea practica alicujus objecti non est nisi in eo,
qui objectum istud mediante idea aut produxit aut producere
potest. Minor probatur; Si fieri nequit ut aliquid sit causa effi-
ciens sui ipsius simpliciter, esset enim alias prius se ipso, quod
αὐτόπρον; etiam fieri non poterit, ut DEUS sit sui causa efficiens se-
que ipsum producat aut produxerit. Et quamvis DEUS dica-
tur Ens à se, exindè tamen inferri non poterit realis productio
sui ipsius, sicut absque rationis lance non nemo contra consci-
entia testimonium inferre videtur, asserens: DEUM seipsum
fecisse, & fieri non posse, quin id, quod est, aliquando esse
cœperit. Locutionem hanc: *Esse à se ipso*: & positivè & ne-
gativè à Philosophis explicatam reperimus. Esse à se ipso posi-
tivè ipsis est influere in seipsum esse, seu dare sibi ipsi esse, & hac
ratione DEUS non est à seipso, cum esse suum per realem influ-
xum & causalem communicationem à se non habeat. Esse ve-
rò à seipso negativè, est non esse ab alio: Quo significatu DEUS
à se ipso esse dicitur, ideò quod nec per causalem productionem
à seipso, nec ab alio se priore & superiore pendeat.

§. 19. Contra positam & stabilitam assertionem posset
quis, non quidè præeunte naturæ sed Revelationis lumine necte-
re Argumentum, quod, cum sit Theologicum, & certa lege intra
cancellos Philosophicos subsistere nos jubeamur, *ὡς ἐν παραδόξῳ*
tangam: erit autem tale: Qu. Filium & Spiritum S. produxit,
in illo datur Idea practica Filii & Spiritus S. Atqui DEUS Pater
produxit Filium & cum Patre Filius Spiritum S. E. in Deo Pa-
tre datur idea practica Filii, & in utroque ipsius Spiritus Sancti.
Ulterius: In quo datur idea practica Filii & Spiritus S. in illo da-
tur idea practica ipsius DEI, quia Filius & Spiritus S. sunt verus

DEUS. Atqui in DEO Patre datur idea practica DEI Filii, & in utroque DEI Spiritus S. E. in DEO Patre & Filio datur idea practica ipsius DEI, Quæ Conclusio contradicit thesi §. 17. assertæ, idcirco vel hæc Conclusio, vel nostra assertio ante posita, falsitatis nævo erit commaculata.

§. 20. Ad hoc dubium ut respondeatur, præmittendum est, (1) quod aliquod principium possit producere id quod est à principio vel naturaliter vel liberè. (2) vel per veram causalitatem, vel citra verum influxum veramque causalitatem. Supponendum quoque: Ideas Practicas strictè dictas non reperiri nisi (1) inter causas & effectus: (2) non nisi in agentibus liberè per intellectum sibiq; ipsis determinare finem valentibus; quod patet ex recepta communiq; consensu Philosophorum nostrorum approbata Definitione Ideæ Pract. seu causæ Exemplaris, dum hæc ab ipsis describitur, quod sit forma, quam imitatur effectus ex intentione agentis determinantis sibi finem. Ex his suppositis & ad præsentem rem tractis respondeo ad (1) Arg. limitando Maj. h. m. Qu. Deum Filium & Spiritum S. produxit liberè & per veram causalitatem, in illo datur idea pract. Filii & Spiritus S. Sic minor est falsa. Hæc enim evadet talis: Deus Pater Filium & Spiritum S. produxit libere per veram causalitatem: quod quam absurdum sit, nemo non videt. (1) Dicitur, quod DEUS liberè produxerit Filium & Spiritum S. quod quam manifestè hostilia cornua inferat doctrinæ orthodoxorum Theologorum, non poterit non esse notum in Theologiæ campo sincere versantibus. Distinguitur enim ibi inter actus DEI ad intra & ad extra, illi dicuntur necessarii, hi verò contingentes. Jam autem productio Filii à Patre, & Spiritus S. à Patre & Filio simul, sunt actus non ad extra sed ad intra, & quidem personales, E. hi actus non erunt liberi sed necessarii. Quid quod si hi actus essent liberi, ipsi DEO, *παρ' ὃ ἐκ ἐνὶ τῷ Θεῷ ἀγαθὴ, ἢ τροπῆς διοικήσασα* Jac. 1, 17. contingentia inferretur: Et sic Pater contingenter generasset Filium, quod immutabilitati & æternitati hujus Nobilissimi Entis directe repugnat. (2) Dicitur, quod DEUS Pater Filium & Filius cum Patre produxerit Spiritum S. per veram causalitatem, quod ab indole prioris absurditatis ne latum recedit unguem. Si enim Fi-

li-

lius est generatus à Patre (simile iudicium sit de Spiritu S.) per veram causalitatem, sequitur Patrem esse ejus causam; cum causalitas nulla sine causa vel cogitari saltem possit, & quod in Theologia ἀτόπων ἀτοπώτα^{τα} est, Filium esse aliud à Patre, atq; consequenter in Trinitate SS. dari ἄλλο ἢ ἄλλο sine appposito. Causa non est principium per se influens esse in aliud. Ubi τὸ ALIUD notat id quod habet Essentiam si non genere, aut specie, tamen ad minimum numero diversam. Si proinde Pater in generando est causa sui Filii, necessario debet ipsum produxisse tanquã aliud seu habens essentiam si non genere, si non specie, tamen numero diversam à Patre; quod cum sit absurdum, absurditate quoque non vacabit illud, unde hoc per proclivem consequentiam deductum fuit, nempe Patrem produxisse Filium per veram causalitatem. Cum itaque planum sit Personam unam in Divinis produxisse alteram non liberè sed necessario, non per causalitatem, sed citra verum causativum influxum, idcirco in plano quoque esse videtur, unam Personam in Divinis producentem alteram, non habere ejus ideam practicam. In (1) Arg. itaque Minor simpliciter negatur.

§. 21. In mente Divina *substantia & Entis in genere*, servata communi hypothese *dantur ideae speculativæ*. Probat h. m. Quæcunque nulla agnoscunt principia, & tamen objiciuntur menti Divinæ, illorum tantum speculativæ ideæ in mente Divinæ dantur. Atqui substantia ut & Ens in genere non agnoscunt principia, & tamen objiciuntur menti Divinæ, E. Substantiæ ut & Entis in genere tantum ideæ speculativæ in mente Divinæ dantur. *Maj.* est clara ex superioribus. In Minore dicitur (1) Ens & substantiam in genere objici Divinæ Menti, quod extrã perplexam difficultatem positum esse arbitror. Mens enim nostra sæpe speculationibus intenta Ens & substantiam in genere ut objectum suum intuetur. Cum itaque DEUS omnium creaturarum intellectualium cogitationes sciat ac intueatur, his cognitæ ac perspectis cognoscet quoque ac intuebitur illarum objecta. Tam diu enim nescitur, quid hic aut ille cogitet, quam diu ignoratur, de quo cogitet. Hinc si Deus cogitationes nostras de Ente & substantia in genere formatas novit, sequitur, quod etiam Ens & substantiam in genere, nostrarum cogitationum

num objecta cognoscat. Nec longa opus est probatione, cum nemo facile negaturus sit, Deum, præciso hoc, quod cogitationes creaturarum cognoscat, etiam per se contemplari ipsum Ens in genere, utpote cum hoc (juxta communem hypothesein) sic Ens reale citra mentis operationem in natura mediantibus individuis existens. Anne autem quis sana ratione utens existimabit dari aliquod positivum quod DEUS non intime habeat cognitum?

§. 22. In eadem Minore quoque (2) dicitur, Substantiam & Ens in genere non habere principia Essendi, quod alias in primo Metaphysicæ limine adhuc stantibus notum est & præter alias rationes probatur ita; Quicquid non habet quoddam inferius Entis aut substantiæ, illud nec habet ipsum Ens aut substantia in genere sumta. Atqui quoddam inferius Entis & substantiæ non habet principia essendi, E. nec Ens aut substantia in genere sumta habet principia essendi. *Major probatur.* Quia natura generis continetur in qualibet specie, E. quod non habet species sive inferius, illud non habet natura generis seu superioris in specie aut inferiore contenta, v. g. immaterialitatem non habet homo, E. nec eandem obtinet animal utpote in homine contentum. *Minor probatur:* DEUS est quoddam Entis inferius: DEUS non habet principia essendi, E. quoddam Entis inferius non habet principia essendi.

§. 23. Contra Prosyllogismi Minorem objectio potest poni, quæ, ut feliciter progredi possimus, prius est removenda. Est autem talis: Quæ est inferius Entis, illo Ens natura est prius. Atqui Deo Ens natura non est prius E. Deus non est aliquid inferius Entis. *Major probatur.* A quocumque non recipitur essendi consequentia, illud est natura prius, juxta Arist. Categ. c. 12. ubi dicit: Πρώτερον ἢ δευτέρου τὸ τοῦ ἐν ἑνὶ εἶναι, ἀφ' ἧ μὴ ἀνεκδέχεται ἢ τὸ εἶναι ἀκολουθητικόν. Ab Ente ad inferius Entis non recipitur essendi consequentia. E. Ens suo inferiore natura est prius. *Minor probatur.* Deo natura nihil prius esse, videtur per quam evidens, cum prioritas naturæ involvat prioritatem realem v. g. causa quamvis sit interdum simul cum effectu ratione temporis, tamen semper prior est eodem natura & realiter. Deo autem realis

lis

liter prius non datur. Ad hanc objectionem respondere non erit
 importunis incedere fluctibus. Puto itaque *negari* posse (1) *Ma-*
jorem: Ut ad ejus probationem felici sydere enascatur respon-
 sio, prænotamus: Duplici ratione ab uno ad alterum non reci-
 procari essendi consequentiam (1) *quoad prædicationem*, ut de
 quacunque re alterum prædicatur, de illa prædicetur ipsum, non
 verò reciproco nexu: De quacunque re prædicatur ipsum, de
 illa etiam prædicetur alterum, v.g. A substantia ad spiritum non
 reciprocatur essendi consequentia quoad prædicationem. Nam
 de quacunque re prædicatur Spiritus, de illa etiam prædicatur
 substantia; Quicquid enim est spiritus illud est substantia, non
 tamen vice versa, de quacunque re prædicatur substantia, de illa
 statim prædicatur Spiritus, de corpore prædicatur substantia non
 tamen Spiritus. (2.) Ab uno ad alterum non reciprocatur es-
 sendi consequentia *quoad existentiam*, quod tum fit, cum existen-
 te altero in rerum natura necessario & ipsum existit, attamen i-
 pso existente non necessario & alterum existit H. m. τὸ ἐν τῶν δύο
 πρότερον. Δυσὶν μὲν γὰρ ὄντων ἀκολουθεῖ ἄλλο τὸ ἐν εἶναι, ἐνὲς ὃν-
 τος ὅτι ἀναγκαῖον δύο εἶναι sunt verba Arist. c. 12. Categ. Versio
 ita sonat: Unum duobus est prius Nam si duo sunt, statim sequi-
 tur unum esse, quod si unū est, non est necesse duo esse. Jam quan-
 do dicitur, illud natura prius esse à quo non reciprocatur essendi
 consequentia, non intelligenda venit reciprocatio quoad prædi-
 cationem, sed reciprocatio consequentiæ essendi quoad existen-
 tiam: Ratio est, quia alias nec unum esset natura prius duobus,
 cum de quo dicantur duo, de illo non dicatur unum, pariter sic
 ut de quo dicitur unum, de illo non dicuntur duo. His præliba-
 tis *respondemus* formaliter *limitando Majorem*: A quocunque
 non reciprocatur essendi consequentia quoad prædicationem,
 illud est natura prius. Sic eam *negamus*. Deinde limitamus ita:
 A quocunque non reciprocatur essendi consequentia quoad exi-
 stentiam, illud est natura prius. *Concedimus*: Sed si subsuma-
 tur: Ab Ente ad inferius quoddam Entis non reciprocatur essen-
 di consequentia quoad existentiam: *Negamus Minorem*: Nam
 sicut existente DEO existit Ens, sic existente Ente existit DEUS.
 Quicquid enim in totius universitatis spatiosissimo reperitur
 am-

ambitu, illud aut est Deus, aut est aliquid ab existentia Dei in fieri, in conservari, & operari dependens, (II.) non absurdus forte erit, qui dixerit, *negari* quoque in objectione posse *Minorem*, quæ ita est: *Deo Ens natura non est prius*. Ad probationem ejus dici poterit: Cum prioritate naturæ non semper esse conexam realem prioritatem, sed tantum in iis quæ realiter differunt. Non autem ea omnia quæ sunt priora & posteriora natura statim sunt realiter distincta, sicut accurate docet Spectab. Dn. Decanus noster Excell. HUNDESHAGIUS Pal. Disp. Metaph. c. 4. th. 3. Responsione ad objectum 4. his verbis: Nec enim prius & posterius natura semper differunt realiter: Nam e. g. Genus natura prius est specie, nec tamen à specie differt realiter. Ex quibus patescere ad oculum arbitror: Etiam si ex superabundanti ponatur, Deo tanquam inferiori Ens natura esse prius, non tamen inde legitima consecutione inferri posse, Deo Ens realiter prius esse, utpote cum Deus ab Ente realiter non differat. Stante itaque hoc; Quod Deus sit inferius Entis universaliter sumti, (pari ratione de substantia in genere judicandum) stabit etiam hoc, quod quæ non habet Deus, illa quoque non habeat ipsum Ens universaliter sumtum. Deus autem Principia essendi causativa non habet, E. principia essendi causativa nec habet Ens universaliter sumtum, nec substantia in genere accepta. Et quod proclivi inde fuit sequela: Entis & substantiæ in genere in Divina Mente tantum speculativæ non verò practicæ dantur ideæ, quod thesis nostra juxta communem hypothesein asserit.

§. 24. Studio dico: *Juxta communem hypothesein*: Eam autem intendo qua statuitur, Universalia in rerum natura existere citra mentis operationem, ita ut quædam non habeant principia essendi, quorum nempe omnia inferiora non sunt producta, quædam habeant principia essendi, quorum sc. omnia inferiora sunt producta. Si autem hac hypothesei deferta alia assumatur, eorum nempe, qui universalia per mentis operationem fieri asserunt, tunc assertio posita non procedet. Hoc modo enim universalium, & consequenter Entis & substantiæ in genere, ut factibilium in Mente Divina dabuntur ideæ practicæ. Mens
ita

ita sententiarum de Universalibus huc redit: Dicunt universale
 posse considerari (1) quoad fundamentum (2) quoad comple-
 mentum. *Fundamentum* iterum faciunt duplex vel *Materialis*,
 quod sunt omnia individua in aliqua conceptibilitate perpetuo
 convenientia. Vel *Formale* quod est similitudo conceptibilita-
 tum horum individuorum inter se. *Complementum* quod con-
 cernit, præstat illud intellectus per operationem mentis (1) *colle-*
ctivam, per quam objecta sibi mutuo similia conceptibilitates-
 que horum objectorum similes colliguntur, & collective perpen-
 duntur. (2) Per *operationem* mentis *abstractivam*, qua intellectus
 à similibus individuis similes conceptibilitates collectas abstra-
 hit, vel seorsim considerat absque individuis. (3) per operatio-
 nem mentis *compositivam*, qua intellectus conceptibilitates si-
 miles collectas & abstractas in naturam aliquam unam, multis
 tamen communem, conceptibiliter compingit: Ita ut postmo-
 dum hæc natura pro omnibus individuis similibus adhibeatur,
 in discursu, & quod de singulis enunciandum erat, de hac una ex-
 pedite enunciatur, ita tamen ut reflexio ad ipsa individua similia,
 si non expressa, saltem tacita habeatur, & quæ de hac universali
 natura dicuntur, non nisi in singularibus ipsis verificentur. Ap-
 plico: Ens potest considerari (1) quoad fundamentum (α) ma-
 teriale, quod sunt omnia individua habentia existentiam (β) for-
 male, quod est similitudo omnium horum individuorum in exi-
 stentia. (2) Considerari potest Ens quoad complementum,
 per quod constituitur in esse Entis in genere, seu in universali, &
 hoc ipsi ab intellectu accedit. Intellectus enim (1) omnia in-
 dividua sub ratione existentia ipsi occurrentia eorumque conce-
 ptibilitates in existentia similes colligit. (2) Has conceptibili-
 tates in existentia similes abstrahit, id est, considerat seorsim abs-
 que hoc, absque illo, absque isto existente. (3) Has conceptibi-
 lites in existentia similes collectas & abstractas compingit in
 unam naturam (quam abstracte vel existentiam vel Entitatem,
 concretive Ens appellat) omnibus individuis existentibus com-
 munem, quam pro omnibus existentibus postmodum supponit,
 ita ut quicquid de hoc Ente sic per mentis operationem factum e-
 nunciatur id de ipsis inferioribus, Deo nempe & creaturis, à quibus

C

fa-

facta est abstractio, intelligatur. Ex his patet quid juxta hanc hypothefin de Universalium ut & de Entis & substantiæ in genere, ideis in Divina Mente fit sentiendum. Quia enim Ens in genere ut tale per complementum mentis constituitur, idcirco ut tale est factibile, & consequenter agnoscit principia ratione complementi, quamvis ea adæquate ratione fundamenti non habeat. In fundamento enim simul continetur Deus, qui non habet principia. Ens autem ratione fundamenti sumtum est nihil aliud præter singularia existentia. Quia ergò Ens in genere ut tale per complementum mentis est factibile, ideo si ejus in mente Divina dantur ideæ, erunt ideæ non speculativæ sed practicæ.

§. 25. Positiva fuerunt hæc objecta quorum in mente Divina tantum dantur ideæ speculativæ. An quoque negationum dantur ideæ speculativæ in mente Divina? non incommode quis hic quærere poterit, cum Deus infinito suo intellectu etiam negationes ut negationes cognoscat. Negationes autem sunt in duplici differentia, quædam, analogice loquendo, fieri possunt, quædam verò non possunt fieri, v. g. privationes ejecto habitu, ut cæcitas amissa potentia videndi secunda, ignorantia amissa eruditione fieri dicuntur. Non-Ens oppositum Enti universaliter sumto, Non-Deus &c. sunt negationes quæ fieri non possunt, utpote cum Entitas, quam negant, desinere non possit. Fieri autem negationes dicuntur sublata Entitate cui opponuntur. Quia itaque Deus etiam has negationes, quæ fieri nullo modo possunt, cognoscit, idcirco videtur asserendum harum negationum dari ideas in Divina Mente: Et cum hæc negationes fieri non possint, idcirco illarum ideas tantum esse speculativas. Nil tamen determinamus sed maturioribus speculationibus hæc relinquimus.

§. 26. *Ideæ Practicæ omnium creaturarum ut & produci possibilem dantur in Divina Mente:* Probo ita: Quarumcunque rerum aut productarum vel produci possibilem conceptus formales repræsentativi dantur in Divina Mente, illarum in Mente Divina dantur ideæ practicæ. Atqui Creaturarum tanquam rerum productarum ut & produci possibilem conceptus formales repræsentativi dantur in Mente Divina. E. creaturarum
ut &

ut & produci possibilem in Mente Divina dantur ideæ practi-
cæ. *Major* patet ex Definitione Idearum Practicarum. *Minor*
probat. Deus est causa Efficiens omnium rerum quascunque
produxit, nec non esse potest causa omnium produci possibili-
um. Non autem est causa naturalis in agendo ad unum contra-
rietatis aut contradictionis determinata, sed rationem causæ li-
beræ, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere,
& non agere, agere hoc & agere illud & inæqualiter, eminentis-
simo obtinet modo omni mutatione intrinseca in intellectu aut
voluntate Divina semota. Liberum autem agens, quatenus li-
bere agit, imitatur in operatione sua certam formam repræsen-
tativam, ad quam effectum exprimit, quæ forma in mente libe-
re operantis existens dicitur Exemplar seu Idea Practica rei pro-
ductæ aut producendæ. Quicquid enim modo aliquo fit, aut
fieri potest ab agente per intellectum, rationem in eo habeat ne-
cesse est, cujus imitatione suo modo fiat, cum agens per intelle-
ctum nihil facere nitatur, quod mente non conceperit. Deo ita-
que tanquam agenti liberrimo & causæ omnium rerum purissi-
mæ ex intentione ad effectus influenti in ordine ad res jam tum
productas aut produci possibilem hi conceptus formales repræ-
sentativi denegari non poterunt. Et si hi in Deo sunt ponendi,
ponendæ etiam in ipso erunt ideæ practicæ, utpote quæ ab his
conceptibus realiter non sunt distinctæ.

§. 27. Omnium quæ quocunque modo facta sunt, aut fie-
ri possunt, *peculiares* sunt in DEO ideæ practicæ. Ratio argu-
mento inclusa erit hæc: Quæcunque Deus sub habitudine pro-
ductionis distincte cognoscit, illorum habet *peculiares* ideas pra-
cticas. Atqui Deus omnia, quæ quocunque modo facta sunt,
aut fieri possunt, distincte sub habitudine productionis cogno-
scit. E. Deus omnium, quæ quocunque modo facta sunt aut fie-
ri possunt, habet *peculiares* ideas practicas.

§. 28. Contra hanc assertionem ita objicitur: Quodcun-
que creaturæ sub ratione perfectionis tribuitur, illud quoque
DEO tribuendum erit: Atqui posse integrum opus pluribus
constans partibus aut una tantum idea, aut si non una, non ta-
men peculiaribus omnium partium ideis producere creaturæ

C 2

sub

sub ratione perfectionis tribuitur; E. posse integrum opus pluribus partibus constans aut una tantum idea, aut si non una, non tamen peculiaribus omnium partium ideis producere Deo quoque erit attribuendum. *Major* est evidens. Quicquid in effectu sub ratione perfectionis reperitur, illud quoque reperitur in causa. *Minor probatur.* Videmus architectum uno tantum conceptu unius ædificii, aut saltem non peculiaribus omnium partium, totum ædificium ejusque partes fabricari. Quis ergo Deo auferret eandem efficaciam, negabitque eum una tantum totius hujus mundi idea, aut non peculiaribus omnium partium hujus mundi ideis, & totum ipsum & omnes ejus partes condidisse? Et si hoc: Sequitur quod non omnium, quæ quocunque modo facta sunt, aut etiam adhuc fieri possunt, dentur peculiare ideæ practicæ in divina Mente.

Resp. Negando Minorem: Quando enim de creato architecto dicitur, quod producat totum ædificium, ita tamen, ut non habeat omnium partium ædificii extruendi peculiare ideas, id illi non sub ratione perfectionis, sed potius imperfectionis & impotentiae tribuitur. Nam si quaeratur, cur architectus creatus non habeat certarum partium constitutionem ædificii, ingredientium ideas practicas? nulla sane ratio poterit assignari alia, quam hæc, quod istas partes v. g. lapides, lutum, cœmenta, ligna ipse architectus creatus nec produxerit, nec producere potuerit. Hæc enim si intellectualiter produxisset, aut saltem producere posset, tunc certe & haberet harum partium peculiare ideas practicas. Hinc absentia peculiarium idearum practicarum respectu certarum partium ædificii non derivatur ex aliqua perfectione creaturis præ Creatore Deo O. M. competente, sed potius ex defectu potentiae, ob quem has partes producere in ipsius viribus positum non est. Hinc asserere non vereor, nullum artificem creatum possidere exemplar seu ideam practicam respectu materiae, in quam operatur, præcise sumptæ. Hanc enim ipse intellectualiter agendo nec efficit nec efficere potest, sed à Deo creatam præsupponit, in eam agit, eamque applicando agentia ad patientia varie alterat, & ex ejus potentia certas educit formas, quarum tandem tantum in ipso dantur ideæ practi-

ci.

ctica. Deus autem totius hujus mundi undiqueque patentis Architectus infinitus & omnipotens, non solum produxit formam hujus universi, sicut architectus creatus tantum in partes suppositas materiamque substratam formam ædificii inducit, sed simul omnes partes materiales etiam minutissimas, ex quibus mundus constat, produxit intellectualiter agendo & consequenter medi-antibus rationibus repræsentativis seu conceptibus practicis peculiaribus quarumlibet harum partium. Dico itaque DEUM una idea produxisse totum mundum, sed unam hanc ideam totius mundi constare (remove hic omnem imperfectionem) ex ideis omnium ejus partium peculiaribus. In mundo autem quæ continentur, sunt partim substantiæ, partim accidentia, horum ergo omnium in Deo peculiare dantur ideæ practicæ, cum omnia sint entia realia, & esse reale à Deo acceperint.

§. 29. Objicitur. Quæcunque producuntur per easdem actiones, quibus producuntur substantiæ, illa etiam per easdem ideas substantiarum producuntur, Atqui accidentia per se, seu propria, producuntur per easdem actiones, quibus producuntur substantiæ. E. Accidentia per se, seu propria, producuntur per easdem substantiarum ideas practicas, & consequenter horum accidentium & substantiarum non dantur in Deo peculiare ideæ. Præmissæ confirmantur h. m. Ideæ Practicæ seu Exemplaria involvunt habitudinem & ordinem ad actiones, non citra causam itaque identitas aut diversitas idearum practicarum seu exemplarium poterit colligi ex identitate aut diversitate actionum, quibus ideata producuntur. Propria autem cum subjectis eadem actione generari videtur esse evidens. Is enim qui producit ignem, simul eadem actione producit calorem in igne. Ignem tanquam subjectum, calorem tanquam proprium.

Ad hoc ut respondeatur, distinguimus inter Propria: Quædam realiter distinguuntur ab iis quorum sunt propria, v. g. calor ab igne: Quædam non distinguuntur realiter ab iis quorum sunt propria v. g. Unum, Verum, Bonum sunt propria Entis, non tamen realiter distinguuntur ab Ente, divisibilitas est proprium quantitatis, & tamen à quantitate realiter non differt. His præmissis: De propriis quæ non realiter differunt à subjectis, sed tan-

tum nostro concipiendi aut intelligendi modo ex primo conceptu fluunt, aliqua ex parte concedimus totum argumentum. Quia enim ejusmodi propria à parte rei sunt idem cum substantia aut subjecto suo, eadem efficientur actione, idemque exemplar actionis directivum habebunt, Sed inde non poterit inferri. E. dantur quædam Entia, quæ non habent proprias & peculiare ideas, sed quæ facta sunt per ideas aliarum rerum à se scil. distinctarum. Eo ipso enim quo hæc propria essentiali & intrinseca connexionione involvunt ipsa subjecta, ideæ horum subjectorum propriæ sunt etiam ipsis propriis à nobis h. m. conceptis peculiare & propriæ: Et hac ratione habent suas peculiare ideas distinctas ab ideis earum rerum, à quibus & ipsa realiter distinguuntur. Si verò sermo sit de propriis à subjectis suis realiter differentibus, *negari* forte poterit *Minor in Argum.* Quod ad ejus probationem attinet, illa sumit id quod est in principio. Juxta communissimam enim sententiam calor ignis non immediate producitur à causa procreante ignem, cum causa caloris sit procreans emanativa, qualis non est causa ignis. Ignis enim à causa univoca vel æquivoca productus deum esse communicat per emanationem calori tanquam suo proprio. Hocque procedere in omnibus propriis à subjectis suis realiter distinctis probat consensus Philosophorum communis. Versantibus enim in Philosophia nusquam non occurrent Essentialia à posteriori seu consecutiva. Hæc autem cur à Philosophis ita appellitentur ratio non poterit reddi alia, nisi quod ipsi existiment, illa, quæ hisce insigniuntur nominibus, essentias suorum subjectorum in esse vel actu constitutas à parte rei immediate consequi ab eisque dependere. Si itaque calor causam suam agnoscit ignem, ignis vero causam agnoscit aliam, sui ipsius enim causa esse non poterit, sequitur quod ignis & caloris diversæ quoque dentur actiones productivæ: Ubi enim sunt diversæ causæ essentialiter non subordinatæ, ibi etiam sunt diversæ actiones. Quid quod non sit improbable; Propria peculiare quidditates habentia, posito quod eadem actione fiant, qua fiunt eorum subjecta, peculiare & proprias tamen ideas habere ex eo, quod, quamvis eadem actione producantur, peculiariter tamen intendan-

dan.

..

dantur si non primaria,secundaria tamen intentione. Et sic *Major simpliciter sumpta* erit *neganda* vel *limitanda* h. m. Quæcunque per easdem actiones producuntur, eadem quoque intentione, ut producuntur substantiæ, illa etiam per easdem ideas substantiarum producuntur. Sic Maj. concessa, *neganda* iterum erit *Minor*.

§. 30. Ulterius objicitur ; Materiam primam non habere ideam aliam in Divina Mente ab idea formæ substantialis. Ratio accersitur ex hypothese illa, quâ docent Thomas ejusque sectatores ; Materiam habere quidem essentiam realem & actualem, ut à forma non accipiat essentiam seu esse essentiæ, suam tamen existentiam habere illam à forma, seu quod idem est, formam dare materiæ esse existentiam. Obiectio in forma erit hæc : Quod non habet propriam existentiam, illius in mente Divina non datur peculiaris & propria idea, per quam producat. Atqui Materia prima non habet propriam existentiam, ut supponunt Thomistæ. E. Materiæ primæ non datur propria & peculiaris idea in Mente Divina.

Respondeo negando Minorem cum hypothese ipsi substrata, quæ admodum est lubrica. Demonstrari enim firma ratione non poterit materiam habere suam existentiam à forma, cum (1) forma sit posterius quid ipsa materia. Illi autem, quod prius est, non poterit conferri existentia ab eo, quod est posterius. E. nec materiæ à forma. (2) Si materia existeret existentia formæ, tunc corrupta forma ejusque existentia cessante, cessaret, seu interiret existentia materiæ. Et sic Materia toties interiret & de novo produceretur, quoties formam priorem in generatione dimitteret, novamque iterum in sinum suum reciperet. Quod omnino est ἀτόπον, & cum incorruptibilitate & ingenerabilitate materiæ primæ à genuinis Peripatheticis satis firmiter, præter Aristotelem, ex ratione stabilita, eadem incedere via planè nequit. Deinde absurdum quoque est, quod dicitur formam non dare quidem materiæ esse essentiæ actualis sed tamen esse existentiam. Cum tamen essentia actualis materiæ & existentiam esse à parte rei plane sint idem, quod probatur ita : Quæ in rebus creatis à se invicem nec per potentiam DEI absolutam separari possunt, illa realiter non distinguuntur, sed sunt à parte rei unum. Atqui

es-

essentia actualis materiæ & existentia ejus nec per absolutam Dei potentiam à se invicem separari possunt, cum tamen sint in rebus creatis. E. Essentia actualis materiæ & ejus existentia realiter non distinguuntur, sed sunt à parte rei idem. *Major probatur.* Inter ea quæ in rebus creatis adæquatè sunt distincta, & tamen mediante unione unita, intercedit realis unio, quæ si non per naturalem, aut ordinariam Dei potentiam, ad minimum per ejus absolutam potentiam potest tolli ab his, ita ut sublata hac unione, ipsa, quæ antea fuerunt conjuncta, à se invicem separentur. Nullum quoque compositum est simpliciter indivisibile. Si autem plura realiter distincta per modum partium uniantur, fit inde compositum. E. Si plura realiter distincta per modum partium uniantur, illud quod inde fit non simpliciter erit indivisibile, & consequenter illa realiter distincta poterunt à se invicem & quidem per omnipotentiam separari. Illorum vero quæ inadæquatè distinguuntur, unum ab altero non quidem adæquatè, sed inadæquatè separari poterit, sicut v. g. anima rationalis separatur ab homine non quidem adæquate, alias etiam à se ipsa separaretur, quia homo adæquate sumtus includit præter corpus organicum ipsam animam rationalem, quod absurdum; sine absurditatis nota tamen poterit dici, quod anima inadæquate ab homine separari possit, sicut realiter & inadæquate ab eodem distinguitur. Unde patet, illa quæ realiter distinguuntur in finitis, à se invicem vel adæquate vel ad minimum inadæquate separari posse. *Minor probatur.* Si existentia Materiæ primæ ab ejus esse actuali separaretur, tunc tamen procul dubio erit asserendum hac actuali essentia materiam esse extra causas, alias non posset dici essentia actualis, sed potius potentialis. Esse tamen extra causas & tamen non habere existentiam, est esse hominem absque anima rationali. Existentia enim est id per quod aliquid est extra causas. Hinc si materia sua essentia actuali est extra causas, sequitur quod materia, separata existentia, adhuc habeat existentiam, quod absolum. Ex quibus dispallescit existentiam & actualem Essentiam non realiter distingui. Si proinde forma materiæ non dat esse essentiæ actualis, nec eidem dabit esse existentia, ipsaque materia propria existet existentia. Et

Et

Et quod inde sequitur, materia prima habebit distinctam ideam practicam in Mente Divina, per quam facta est, ab ideis formarum alienam.

§. 31. Nec negationum nec Entium rationis in Deo propriè loquendo dantur ideæ practicæ. Probatur ita: Quæcunque non habent Deum causam propriè dictam efficientem, illorum non dantur propriæ dictæ ideæ practicæ in divina mente. Atqui negationes & Entia rationis non habent Deum causam propriè dictam efficientem, E. Negationum & Entium rationis in Deo non dantur propriè dictæ ideæ.

Major probatur. Quia ideæ practicæ sunt rationes causandi causæ efficientis. Referuntur enim ad Artem vel tanquam id sine cuius concursu ars causare artificiosumque effectum producere nequit, vel tanquam id, quo ars in esse completo artis demum constituitur. Quia ergo Ars est principium effectivum. Quo, sive id quo agens liberum aptum est, ut sit causa efficiens, hinc illud quoque, quod in arte includitur, aptitudinem ipsi agenti libero ad agendum conciliabit, & consequenter ideæ practicæ in Arte includæ erunt rationes causandi agentium liberorum: Cum ratio causandi & id per quod quid aptum est, ut possit esse causa, Philosophis significant idem. Si itaque ideæ practicæ sunt rationes causandi causæ efficientis propriè dictæ, sequitur quod illa, quæ non habent causam propriè dictam efficientem, nec agnoscant ideas practicas, tanquam rationes causandi alicujus causæ efficientis propriè dictæ. Ubi enim non est causa, ibi nec ratio causandi. Cum ratio causandi sæpissime non distinguatur ab ipsa causa, v. g. potentia passiva, quæ est ratio causandi materiæ, ab eadem realiter non distinguitur, nec potentia informandi à forma, nec potentia creandi à Creatore. *Minor probatur.* Quæcunque non sunt effectus propriè dicti, illa etiam non habent propriè dictam causam Efficientem Deum. Atqui negationes & Entia rationis non sunt effectus propriè dicti. E. Negationes & Entia rationis Deum non habent causam propriè dictam efficientem.

§. 32. *Prosyllogismi* hujus *Major probatur*, quia inter causam & effectum reperitur relatio transcendentalis. Sicut autem

D

unum

unum relatorum se habet, sic quoque alterum. Si unum non est propriè dictum, nec alterum erit tale, v. g. susceptor non est propriè dictus Pater, E. nec is qui suscipitur erit propriè dictus Filius Susceptoris. Intellectus intelligendo propriè non videt. E. id quod intelligitur etiam propriè non videtur. Pari ratione ubi non datur propriè dictus effectus tanquam terminus, ibi nec ejus datur propriè dicta causa. *Minor probatur.* (1) Negationes non sunt effectus propriè dicti, quia non continentur sub Ente. Quod enim non continetur sub Ente, illud non capax est affectionum Entis. Esse effectum autem est pars affectionis disjunctæ Entis: Dicitur enim omne Ens vel est causa vel effectus & vice versa. (2) Entia rationis non sunt effectus propriè dicti. Non enim fermo est nobis de Entibus rationis, quæ effectivè fiunt à ratione, vera tamen & reali efficientia, qualia sunt omnia arte facta: Utpote quæ sunt Entia dependentia ab operationibus rationis, quamvis non immediate, tamen mediate, & obtinent veram existentiam, ut adeo sint effectus propriè dicti. Nec loquimur de Entibus rationis ita dictis per habitudinem ad rationem ut subiectum inhætionis, qua ratione habitus intellectui inhærentes, seu ab illo permanent, seu extrinsecus infundantur, denominari poterunt Entia rationis. Accidens enim est Ens Entis & dicitur esse ejus subiecti in quo est. Habitus mentis itaque, tanquam accidentia, erunt intellectus seu rationis Entia, in qua subjective fundantur. Sunt tamen veri effectus, utpote cum vere habeant naturam Entis & in specie inhærentiam, rationem accidentis specificam. Nec tangimus Entia rationis objective in mente existentia vel per suas imagines vel secundum se ipsa, prout habent in se extra intellectum verum & reale esse, secundum quod rationi objiciuntur. Hæc enim sunt realia & interdum propriè dicti effectus, quia esse reale illis simpliciter ac per se convenit. Esse autem objectivum seu objici rationi ab eaq; cognosci est ipsis, ut plurimum, extrinsecum & accidentarium. Sed assertio nostra concernit illa Entia rationis, quæ tantum objective sunt in mente, ita ut aliud esse habere non possint, quæ propriissime vocantur Entia rationis. De his dicimus, quod non sint propriè dicti effectus (1) quia tantum objective sunt in mente:

te:

te: Ad proprie dictum effectum autem requiritur, ut existat ci-
tra hoc quod cognoscitur (2) quia involvunt contradictionem &
consequenter sunt impossibilia. Impossibilia autem non
sunt veri effectus. Nec est quod quis *dicat* (1) Entium rationis dan-
tur scientiæ E. erunt realia. Negamus enim prius de scientiæ
per se: Concedimus de scientiæ per accidens, sed hæc de Non-
Ente haberi potest. (2) Entia rationis habere quidditativa præ-
dicata per definitionem explicata. Hæc enim omnia non pro-
prie sed per analogiam ipsis tribuuntur. (3) Non-Entia agno-
scere causam, nempe intellectum. Nam quando intellectus di-
citur causa fingens Ens rationis, non est causa proprie dicta Entis
rationis, quia efficientia ejus, ut est realis productio, ad illud non
terminatur ut ad terminum effectionis, sed tantum ut ad obje-
ctum ipsius termini producti. E. Nec ipsum Ens rationis fictum
erit proprie dictus effectus. Conceptus quidem de Ente ratio-
nis est reale quid, sed non ipsum Ens rationis quoad esse obje-
ctivum. Quoniam igitur ut ex dictis elucescit, Negationes & En-
tia rationis non sunt proprie dicti effectus agnoscentes proprie
dictas causas, ideo nec ipse Deus erit proprie dicta causa illorum,
& consequenter, nec in Deo debentur proprie dictæ ideæ Practi-
cæ Negationum & Entium rationis.

§. 33. Dixi: Proprie loquendo, non dari Ideas practicas
Negationum. Sicut autem quædam Negationes analogice fie-
ri dicuntur, per Remotionem sui positivi. Sic etiam Analogice
loquendo, illorum Negationum possunt dari in Deo Ideæ pra-
cticæ; Negationes hæ, quæ fieri dicuntur, solent opponi Positivis.
Cum autem omne positivum, quæ tale, sit Bonum, idcirco hæ ne-
gationes erunt malum quid. Positiva illa, quorum negationes
fieri dicuntur, sunt præcipue Bonitas Moralis, & Physica; Bo-
nitati Morali opponitur negatio Rectitudinis cum Regula
practica, quæ negatio aliàs solet dici Malum Culpæ; Bonitati
physicæ opponitur Negatio Rectitudinis cum cursu naturæ, quæ
solet ut plurimum dici Malum pœnæ. De his posterioribus Ne-
gationibus non est dubiū, an earum in Deo dentur Analogicè ta-
les Ideæ practicæ, utpote cum hæ suo modo à Deo fiant, quod in-
nuitur aliàs, quando dicitur, quod malum pœnæ seu supplicii à

Deo sit, juxta illud Amos. 3, 6. Anne malum est in urbe, quod Deus non fecit? De prioribus ergo Negationibus saltem difficultas erit; Hæ enim nec Analogice à Deo fieri possunt, cum sint peccata. Peccata autem sunt mala culpæ, quæ qua talia à Deo Ente purissimo & sanctissimo dependere nequeunt. Sicut igitur, hæ negationes analogicè à Deo fieri non dicuntur, ita etiam earum nec dabuntur analogicè tales Ideæ practicæ in Deo; Ad hanc dubitationem dici posse reor, Negationum Rectitudinem, moralem impugnantium dari (1) in Deo analogice ideas practicas Negativas, per quas Deus directè respiciat peccata, quæ à causa particulari fieri possunt, ut omittenda, (2) earundem dari in Deo ideas practicas positivas sed indirecte, ita, ut hæ Ideæ positivæ directè terminentur ad Positivos actus, & ad Rectitudinem & conformitatem actuum cum Lege Dei æterna & immutabili. Indirecte verò ad Negationes & Illegalitates, quia per has à Rectitudine morali agens liberum deflectit.

§. 34. Viso nunc, quorum in Mente Divina dentur ideæ practicæ, quorum non dentur, in genere, propter studii nostri usum ad quædam saltem specialiora transimus & asserimus *in Deo dari Ideas practicas omnium habituum bonorum eorumque operationum in creaturis intelligentibus, præcipue vero Habitûs Theologici.*

§. 35. *Ideas Practicas Habitûs Theologici* probo h. m. Deo primo & independenter inest Theologia, quæ alterius, cum creaturis intelligentibus communicatæ Theologiæ exemplar seu idea practica est. Illa in Deo dicitur Theologia Archetypa. Hæc in creaturis verò Theologiæ Ectypæ nomine venit. Archetypum est primum & independens, ad cujus imitationem aliud quid producitur. Involviturque duplex in eo respectus (1) negativus dependentiæ & prioritatis alterius ejusdem generis. (2) positivus ratione effectus ad sui imitationem expressi. Ectypum est id, quod mutua relatione archetypo respondet & ad imitationem ejus est expressum. Theologia itaque Archetypa est quæ Deo primo inest, & alterius ad sui imitationem expressæ Theologiæ idea est. Theologia verò ectypa est, quæ in creaturis ad imitationem hujus ideæ est expressa. Archetypa Idea Theo-

Theologiæ involvit duo (1) materiale (2) formale. Materiale est scientia seu cognitio Dei, qua seipsum cognoscit. Quæ cognitio cum sit speculativa, ideo Ideam Exemplarem seu practicam non complete constituit. Formale est cognitio practica, qua Deus scientiam sui ut imitabilem à creaturis cognoscit. Ut proinde hæc Idea practica, complete & adæquate sumta sit conceptus Divinæ Mentis practicus, quo sui cognitionem seu scientiam ut imitabilem à cognitione & Scientia creata apprehendit. Applico in Theologia Naturali: Deus cognoscit se ab omni æternitate (1) ut Spiritum à se & independentem existentem. Cognoscit suum intellectum, Voluntatem, Potentiam, Bonitatem, Infinitatem, Unitatem, Simpliciter, Immutabilitatem, Immensitatem, Æternitatem, Invisibilitatem, Providentiam, reliquasque suas eminentissimas perfectiones & Divina Attributa omnia. Cognoscit (2) se Deus ut finem ultimum & summum hominis bonum, in cuius adeptione & fruitione omne beatitudinis complementum residet. Cognoscit quoque (3) hominem, cui, & media, per quæ erat acquirenda hæc beatitudo.

§. 36. Juxta hanc Dei cognitionem expressa est nostra Theologia Naturalis similitudine exactissima & imitatione quam similima. Ductu enim Principiorum Naturæ, quibus Theologia Naturalis nititur, cognoscimus Deum (1) absolute & in se, in sua infinita & independente Essentia cum omnibus Divinis Attributis in §. præcedente recensitis: quæ cognitio primæ parti Divinæ cognitionis respondet. (2) Naturaliter cognoscimus Deum ut finem hominis ultimum & Bonum summum. Naturalis enim Theologia ut scientia Practica, primo omnium Finem suum considerandum proponit, qui est beatitudo. Hæc autem includit duo (1) ipsam Rem, in qua hominis summa perfectio consistit, unum nempe & solum Deum, in quo absolute & perfecte summa bonitas, imo universa ratio boni invenitur, quique solus hominis desiderium exsatiare valet. (2) Fruitionem hujus boni, quæ in operatione animæ rationalis circa Deum consistit, Fruitio enim hæc non contenta est operationibus hominis vegetativis, utpote homini cum plantis communibus, nec operationibus ejus sensitivis, ipsi cum brutis communibus, sed homi-

nis operationes proprias, animæ rationalis nempe requirit. Et quidem non quascunque animæ rationalis operationes, sed appetitum ejus explentes, occupatas nempe circa bonum absolute & perfecte summum DEUM O. M. in statu non hujus, sed alterius vitæ. Per quasdam harum operationum, cognitiones nimirum, intellectus cum Deo ut summo Bono cognito conjungi, per quasdam vero, amoris nempe actus, Deo cognito voluntas adherere debet. Cum autem utraque operatio tam cognitio Dei, utpote quæ abstractiva est, quam Amor Dei, cognitionis indolem consequens, pro statu hujus vitæ imperfecta sit, ideo in neutra hominis beatitudo consistere potest, remanet ergo, ut illa in operationibus animæ rationalis circa Deum in statu alterius vitæ, quæ etiam ex lumine naturæ naturaliter cognosci potest, ponatur. Quæ nostra naturalis cognitio respondet secundo Divinæ cognitionis membro. (3) Naturalis Theologia præscribit homini, non præcise peccatori, sed omni, qui beatitudinem nondum est consecutus seu in statu integritatis seu corruptionis sit constitutus, tanquam subjecto operationis, media ad beatitudinem pertingendi. Quæ media in actibus intellectus & Voluntatis circa Deum, Agnitione scilicet & cultu Dei, sita sunt, & inculcantur homini à Theologia Naturali, vel per prima principia practica omnibus hominibus natura insita, vel per conclusiones practicas ex Dei Essentia & Attributis deductas. Quæ Theologiæ Naturalis pars cum tertia Divinæ cognitionis parte congruit. Ex hac convenientia & similitudine ad oculum cuilibet Sapientiori patere arbitror, in Mente Divina ab æterno fuisse Ideam Practicam Archetypam, ad cujus imitationem Theologia Naturalis in tempore nobis fuerit communicata, partim per notitias nostris mentibus divinitus insitas, partim per ostensa in creaturis quædam suorum Attributorum indicia & vestigia. Sic procedit in Theologiæ Naturalis habitu ejusque operationibus: Quin etiam in Theologia Revelata procedat optime, nullus dubito, nostrum tamen non est in circum Philosophicum Revelationem trahere.

§. 37. In reliquis quoque Habitibus bonis eorumque operationibus pariter *idea Divina* poterunt demonstrari. Studio di-

co:

co: *Habitibus bonis*: Ut excludam habitus malos. Habituum enim vitiosorum ut talium in Deo non dantur ideæ proprie practicæ; nam hæ ordinantur ad id quod Deus facit. Ejusmodi autem habitus vitiosi quæ tales à Deo nec fiunt, nec approbantur. Habitibus Boni distinguuntur in intellectuales & Morales. *Moralium Habituum* seu Virtutum Voluntatis dari ideæ practicæ in Divina Mente probatur (1) h. m. In quocunque datur virtus, quæ omnium virtutum Moralium mensura est, in illo datur ideæ practicæ omnium virtutum Moralium. Atqui in Deo datur virtus, quæ omnium virtutum Moralium mensura est, ejus nempe Infinita Bonitas, Sanctitas & Justitia, ad quam quo propius homines accedunt, eo virtuosiores, quo longius recedunt, eo vitiosiores redduntur. E. In Deo datur ideæ practicæ omnium virtutum Moralium. (2) Cuicunque, tanquam semina Virtutum hominibus ingeneranti, actiones virtuosas præcipienti, iisque cooperanti, adscribuntur virtutes Morales, in illo dantur ideæ practicæ earundem. Atqui Deo, tanquam virtutum semina ingeneranti, actiones virtuosas præcipienti, iisque cooperanti, adscribuntur virtutes morales. E. In Deo dantur Ideæ Practicæ Virtutum Moralium.

§. 38. *Habituum Intellectualium Ideas Practicas Divinas* probat hoc ratiocinium: Quicunque habitus effective dependent à principiis divinitus insitis, objective vero vel ab ipso Deo, vel à rebus juxta Ideas Divinas productis, illorum Habituum in Deo dantur ideæ practicæ. Atqui omnes habitus intellectuales effective dependent à principiis divinitus insitis, iisque vel Theoreticis vel practicis, objective vero vel ab ipso Deo, vel à rebus juxta ideas Divinas productis. E. Habituum Intellectualium in Deo dantur ideæ practicæ. Major patet: In quo enim datur ideæ causæ, in illo datur etiam ideæ causati. In Deo dantur ideæ Principiorum primorum à Deo creaturis implantatorum. E. In eodem quoque dabuntur ideæ Habituum à primis principiis dependentium. In Deo dantur ideæ rerum à quibus habitus objective dependent. E. etiam ipsorum habituum inde dependentium in Deo dabuntur ideæ, v. g. Corporis naturalis à Deo, tanquam agente intellectuali Infinito, producti dantur ideæ in Divina Mente, jux.

juxta quarum imitationem corpus naturale conditum fuit. Ab hoc corpore naturali objective dependet Scientia Physica, quæ in suis speculationibus Physicis ipsi corpori naturali conformatur, dum corpus considerat ut in se, suis proprietatibus, operationibusque propriis se habet. Jam quod conformatur ei, quod Ideis Divinis conforme est, illud ipsum ideis Divinis conforme fit necesse est. Præterea Deus hanc conformitatem intendit eo ipso, quo objecta scibilia homini ad penetralia rerum, rebus conformiter, scrutanda, ingenique vires tentandas proposuit.

§. 39. *Ulterius dantur in Divina Mente Idæ Practicæ omnium Legum, Naturalium nempe & Positivarum, ut & actuum sive in se, sive ratione positivæ determinationis moralium, quæ Idæ uno nomine dicuntur Lex Dei Æterna, quæ à variis varie explicatur. Quidam per Legem Dei æternam intelligunt rationem Divinæ Sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum & motionum. Quidam explicant per summam rationem, cui semper obtemperandum. Vel per immutabilem Legem, qua justum est ut omnia sint ordinatissima. Prima acceptio nimis est generalis. Ratio enim Divinæ Sapientiæ, quatenus directiva est omnium actuum & motuum, est nihil aliud, quam ratio gubernandi universum, rebus creatis certos ipsisque connaturales fines præfigendi, & res omnes in hosce fines per sufficientia & efficacia media dirigendi, quæ ratio non habet adæquate, & in ordine ad quodlibet objectum sumto, naturam legis, sed saltim inadæquate & specialiter accepta, in quantum est ratio directiva actionum liberarum, sub motibus & actibus adæquate sumtis inter alia contentarum. Lex æterna autem adæquate seu in ordine ad quodlibet suum objectum rationem legis habere debet. Secunda explicatio à posteriori est desumpta, nempe à debito obtemperandi, vi cujus omnia sint ordinatissima i. e. convenient cum lege Dei omnia sapientissime ordinante. Descriptiones autem à posteriori mittendæ sunt, si aliæ proximiores possunt dari. Non inscite itaque videtur commodius describi posse Lex Dei Æterna quod sit *Actus Divini Intellectus practicus, de iis quæ rationali creatura conveniunt, cum voluntate ut stant, conjunctus.**

§. 40. Hæc Lex Dei Æterna commode dici potest Idea
Pra-

Practica omnium Legum omniumque à Creaturis rationalibus agendorum. (1) quia est Lex omnium prima, æqualem cum Deo Aeterno æternitatis existentiam & durationem habens, jubare eminentissimæ Mentis Divinæ in infinita & inaccessa ejus Sapiencia scripta. (2) quia ceu fundamentum immutabile omnibus aliis legibus subternitur, ut quæcunque in universitate rerum inveniuntur leges, justæ quidem & congruæ, ex lege Dei æterna, tanquam ex principio Deo coævo & radiis Sapienciæ Divinæ consignato, ortum & originem suo modo derivent. Ut adeo omnium harum Legum ex Æterna Lege ortarum violatio ultimo tandem Legem Dei Æternam sua transgressione lædat, Numinisque sanctissimi mentem ostendat. (3) Quia ejus directioni & obligationi irrefragabili omnes creaturæ rationales, quas unquam Sol vidit, videt aut visurus est, subjiciuntur & subjectæ sunt. (4) Quia generalissimam & illimitatam obtinet universalitatem, objecti nempe temporis & loci. Objecti universalitatem habet, dum se extendit ad omnia, ad quæ lex aliqua extendi potest, & sua universalitate omnes omnium hominum actus rectos & pravos commensurat. Temporis universalitate gaudet, dum nullis temporum periodis finitur, nullis durationum intervallis limitatur, ita ut quicquid ei quocunque tempore conforme est, justum ac rectum, quicquid difforme est, injustum & malum sit. Loci universalitatem obtinet, dum nullis locorum cancellis circumscribitur, nullis provinciarum aut regionum limitibus, extra quos non vigeat, concluditur, sed ubique gentium in infinito suo rigore valet. Ex quibus tale fluit Argumentum : Quæcunque Lex est omnium prima, in omni genere universalissima, ut exinde tanquam ex fundamento & principio omnes aliæ leges fluant, illa Lex in Divina Mente est omnium aliarum Legum actionumque legalium idea practica. Atqui Lex Dei æterna in Divina Mente est omnium prima, in omni genere universalissima, ut exinde tanquam ex fundamento & principio omnes aliæ leges fluant, ut hætenus ostensum, E. Lex Dei æterna in Divina Mente est omnium aliarum Legum actionumque legalium idea practica.

§. 41. Ideæ hujus Practicæ seu Legis Æternæ in Divina Mente existentis expressa imago est Lex Naturæ. Per hanc enim

E

Le-

Legem omnibus omnium hominum quovis loco, quovis tempore, quavis conditione existentium mentibus implantatam Lex Dei æterna promulgata est. Cujus intuitu, ut docent Theologi, ad Rom. 2, 14. dicitur. Ὅτι οὐκ ἔσθη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσιν τὰ τὰ νόμον ποιῆ, ἔτσι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσι νόμοι. Οἱ τινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τὰ νόμον γραπτόν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Hæc itaque Lex, Naturalis nempe, describi poterit in ordine ad Legem Æternam tanquam suam Ideam & Exemplar, quod sit actus practicus rationis rectæ de iis, quæ Lege Dei æterna præcepta aut prohibita sunt. Dum dico, Legem Naturæ esse expressam Legis Dei Æternæ imaginem, non excludo reliquas leges positivas, utpote quæ plerumque immediate ex Lege Naturæ, mediate vero ex Lege Dei æterna suam originem trahunt.

§. 42. Plura Idearum Divinarum objecta specialia posset recenseri, sed ne contra institutum pagellæ vermium morsu interituræ nobis crescant, ideo in præsentī ea præterimus alio loco plura hoc de argumento dicturi: Paucis saltem adhuc videntum erit, secundum quod esse hæc Ideæ Divinæ referantur ad creaturas. An nimirum Ideæ rerum extra Deum dentur in Deo secundū illud esse, quod creaturæ in Deo habent eminenter, an vero secundum esse illarum proprium, quod extra Deum singulæ in se ipsis possident? Paucis rem expedio & assero, (1) *Deum Ideas creaturarum possidere secundum illarum esse proprium, quod extra Deum in seipsis habent.* Assertionum probo ita: Secundum quod esse Deus libere & prævia cognitione creaturas extra se producit, secundum illud esse habet illarum ideas practicas. Atqui secundum esse proprium, quod quælibet creatura in se immediate & in particulari possidet Deus creaturas libere & prævia cognitione extra se producit. E. secundum esse proprium, quod quælibet creatura in se immediate & in particulari possidet, Deus habet creaturarum ideas practicas. Assero (2) *Creaturarum secundum illud esse, quod ipse in Deo eminenter habent, directe non dari ideas practicas.* Quod probo ita: Illud esse, secundum quod directe creaturarum ideæ practicæ in Deo dantur, debet esse terminus productionis. Atqui esse, quod creaturæ in Deo eminenter obtinent, non est terminus productionis, quia est ipsa Essentia aut

Po-

Potentia Divina. E. Illud esse, secundum quod directe creaturarum ideæ practicæ dantur in Deo, non est esse, quod creaturæ eminenter in Deo obtinent.

§. 43. Dico : Directe : Duplici enim modo possunt ideæ practicæ dari in Deo secundum aliquod esse. (1) Ut ideæ practicæ seu effectivæ directe concernant illud esse tanquam producendum. (2) Ut ideæ practicæ indirecte saltim & consequenter respiciant illud esse non tanquam producendum seu terminum productionis, sed tanquam id, à quo per consecutionem intervenientibus ideis practicis aliud esse efficiendum. Priori modo dantur in Deo creaturarum ideæ secundum proprias & peculiare creaturarum essentias. Posteriori modo dantur ideæ practicæ creaturarum in Deo secundum illud esse, quod creaturæ in Deo obtinent eminenter. Ita ut Ideæ practicæ, qua practicæ, directe non terminentur ad esse, quod in Deo est eminenter, sed indirecte & consequenter ad aliud esse, quod per illud eminentiale esse procedendum est.

§. 44. Nunc ulterius de Distinctionis & Identitatis Habitudine inter Deum & ipsius Ideas dispiciendum erit : Qua in re mentem meam sic explico. *Idea Divina realiter à Deo non differunt. Probo* (1) ita : Quæcunque Ideæ non sunt à parte rei essentia intelligentis, illæ ab intelligentis essentia respiciuntur ut actus realiter distincti, à potentia producti inque eadem recepti. Atqui ideæ Divinæ non respiciuntur ab Essentia Dei intelligentis ut actus realiter distincti à potentia producti inque eadem recepti. E. Ideæ Divinæ non sunt id, quod non est à parte rei essentia Dei intelligentis, aut per æquipollentiam : Ideæ Divinæ sunt realiter seu à parte rei Essentia Dei intelligentis. *Maj. probatur.* Quicunque actus vere ab intellectu sunt causati & immanentes, illi ab intelligentis essentia respiciuntur ut actus realiter distincti à potentia ab eadem producti & in eadem recepti. Quæcunque ideæ non sunt realiter Essentia intelligentis, illæ sunt actus vere causati ab intellectu & immanentes. E. Quæcunque ideæ non sunt realiter essentia intelligentis, illæ ab Essentia intelligentis respiciuntur ut actus realiter distincti à potentia, ab eadem producti & in eadem recepti. *Minor probatur.* Cuicumque per infinitatem

increatam nihil creati potest esse intrinsecum, & in quo propter immutabilitatem, omnem potentiam passivam excludentem, nihil realiter productum recipi potest, ab illius essentia non respiciuntur ejus ideæ, ut actus realiter distincti à potentia, ab eadem producti & in eadem recepti. Atqui Dei Essentia ejusque intellectui propter infinitatem increatam nihil creati, potest esse intrinsecum, & in eo propter immutabilitatem ejus omnem potentiam passivam excludentem nihil realiter productum recipi potest. E. Ab Essentia Dei intelligentis non respiciuntur ejus ideæ ut actus realiter distincti à potentia, ab eadem producti inque eadem recepti.

§. 45. Probo (2) h. m. Quæcunque Ideæ non distinguuntur realiter ab intellectu cum Essentia identificato, illæ ideæ non realiter distinguuntur ab Essentia. Atqui ideæ Divinæ non realiter distinguuntur ab intellectu Divino cum Essentia Divina identificato. E. Ideæ Divinæ non distinguuntur realiter ab essentia Divina. *Major* est manifesta: Quæ enim conveniunt in aliquo tertio, illa quatenus in tertio conveniunt, sunt eadem inter se. *Minor* duplicem continet assertionem. *Prima* est: Ideæ Divinæ non realiter distinguuntur ab intellectu Divino. *Secunda* est: Intellectus Divinus cum Essentia Dei est identificatus. *Posteriorem Assertionem* possem hic supponere tanquam certam, sed ex superabundanti unica saltem ratione eam stabilio: Si nec intellectus Angelicus ab Essentia Angeli, nec intellectus animæ rationalis ab ipsa animæ essentia realiter distinguuntur, sequitur quod nec intellectus Divinus ab Essentia Divina realiter distinguatur. Sed nec intellectus Angelicus ab Essentia Angeli, nec intellectus animæ rationalis ab ipsa animæ essentia realiter distinguuntur, E. Nec intellectus Divinus ab Essentia Divina realiter distinguitur. *Minorem* probo. (1) Omnis urgens ratio deest, quæ distinctionem intellectus Angelici & Humani ab ipsis essentiis firmiter suadeat. (2) Sequeretur hoc absurdum: Essentias Angelicas itemque Animarum Rationalium per absolutam Dei potentiam posse esse non intelligentes. Realis enim distinctio in creatis infert compositionem realem, compositionem realem sequitur divisibilitas realis, quæ si non à causa secunda, saltem à prima per absolu-

lu-

lutam potentiam operante in actum divisionis deduci potest. *Consequentia Majoris* satis est clara. Compositio enim infert imperfectionem. Illud autem Imperfectionis quod creaturis denegatur, multo magis de Deo erit negandum.

§. 46. *Priorem Assertionem* ut probem, urget diversitas inter Deum & creaturas. Quamvis enim convenient in hoc, quod tam Dei, quam intellectualium creaturarum intellectus non differant ab illorum Essentiis. In hoc tamen diversitas cernitur, quod conceptus formales in intellectu creato sint actus eliciti, & ob realem productionem ab intellectu realiter distincti. Conceptus vero formales in intellectu increato non sint actus vere eliciti aut realiter producti.

§. 47. Et quamvis quidam inventi fuerint, qui asserere non dubitaverint, intellectum Angelicam non esse accidens ab Essentia & Intellectu Angeli distinctum, prætendentes rationes has: Quia alias (1) Angeli intelligendo fatigarentur. (2) Angelis ex intellectione aliquid perfectionis accederet, quod utrumque ipsis absurdum videtur, tamen assertio hæc nimium quantum laborat, quod probo: (1) Quicquid est mutabile ab intrinseco in actibus intelligendi, immutabile vero ab intrinseco in sua essentia, illius actus intelligendi non est ejus essentia. Atqui Angeli sunt mutabiles ab intrinseco in actibus suis intelligendi, immutabiles vero ab intrinseco in sua essentia. E. Actus intelligendi Angelorum non sunt ipsa Essentia eorum. Major est perspicua. Mutabile enim ab intrinseco & immutabile ab intrinseco differunt. *Minor* continet duas partes. (1) Dicitur, quod Angeli sint mutabiles ab intrinseco in suis actibus intelligendi (2) quod iidem sint immutabiles ab intrinseco in sua essentia. *Priorem Minoris partem probo.* Quicumque propter virtutem finitam non simul cognoscit omnia, quæ quocunque modo sub ejus objectum cadunt, ille in actibus intelligendi ab intrinseco est mutabilis. Atqui Angeli propter finitam virtutem non simul cognoscunt omnia, quæ quocunque modo sub illorum objectum cadunt, quod manifestum, & ex Sacris, si opus esset, probari posset. E. Angeli in intelligendi actibus ab intrinseco sunt mutabiles. *Major probatur:* Qui non simul cognoscit omnia, quæ sub

suum objectum cadunt, ille in actibus intelligendi admittit successionem, ubi autem datur successio vera, ibi datur mutabilitas. *Secundam Minoris partem* ita probo: Quicquid non includit materiam, illud in sua essentia ab intrinseco est immutabile. Angeli non includunt Materiam. E. Angeli in sua essentia sunt immutabiles ab intrinseco. Minorem hic suppono. Major patet. Materia enim est unicum principium corruptionis ab intrinseco, quo negato cessat quoque corruptibilitas & mutabilitas ab intrinseco. Hæc proinde solis Spiritibus competit, utpote materiæ expertibus. Quamvis enim quædam corpora in Peripato statuuntur incorruptibilia. Incorruptibilitas tamen illorum non est ab intrinseco, sed ab extrinseco propter negationem causæ destructivæ non cujuscunque, sed saltim naturalis. Hoc modo corpora coelestia sunt incorruptibilia non ab intrinseco, habent enim materiam corruptionis principium, sed ab extrinseco, non respectu potentiae Divinæ, sic enim utraque corruptibilitas & ab extra & ab intra iis competit, sed respectu potentiae finitæ naturalis, à qua non potest destrui.

§. 48. Quod intellectio ab intellectu Angeli differat, hoc (2) probo sic: Quæcunque in Angelo se habent ut naturale & supernaturale illa realiter differunt. Atqui Intellectus Angeli & quædam ejus intellectio se habent ut naturale & supernaturale. E. Intellectus Angeli & quædam ejus intellectio realiter differunt. *Minor* probatur. Angeli comprehensores cognoscunt mysteria Divina quæ in luce, quam Deus ἀπερόσιτον inhabitat, omni creaturæ sibi relictæ penitus absconditâ sita sunt; hæc itaque illarum cognitio à speciali concursu Dei partim in ratione objectiva, partim in vi effectiva dependeat oportet, ut proinde non nisi supernaturalis esse possit. Hanc autem supernaturalem cognitionem quis non videt ab intellectu Angelorum, tanquam re ipsi naturali, esse realiter distinctam. Quod concernit rationes in contrarium allatas, illæ nihil plane habent difficultatis. In (1) negamus consequentiam. Non sequitur, si intellectio Angeli esset accidens, tunc Angelus intelligendo fatigaretur. Defatigatio enim intelligentis non provenit præcise ex conditione intellectiois in se spectatæ, sed ex habitudine intellectiois ad præ-

vi.

viam operationem sensuum, quæ partim per spiritus animales nimio opere defectibiles, partim per nervos & organa corporea, quæ facile defatigantur, exercetur. Ut proinde propter flaccescentes sensuum operationes intelligens intelligendo quoque quasi flaccescat. Habitudo autem hæc ad prævias sensuum operationes cum tantum sit in humanis intellectibus, non vero in Angelicis, idcirco nec ratio hæc in Angelis ullo modo militabit. Ad (2) dico, non esse absurdum, sed omnino veritati consentaneum, Angelos per intellectiones tanquam actus immanentes magis magisque perfici. Rationem itaque hanc non admittimus, donec absurditas hæc ab iis Autoribus evidenter ostendatur, quod tamen nec factum hæcenus fuit, nec forte solide fieri poterit.

§. 49. Ex his manifestum est, intellectionem Angeli esse accidens ab intellectu ejus distinctum. Patet quoque Deum præ omnibus creaturis intellectualibus sibi soli peculiari modo vindicare intellectionem ab ejus intellectu non distinctam, quod cum sit palmarium, & ut §. 45. dictum, probatione indigeat, idcirco ulterius probo hunc in modum: (1) O. intellectio realiter distincta ab intellectu eundem per modum subjecti perfectibilis perficit. Intellectio Divina intellectum Dei non perficit per modum subjecti perfectibilis, alias Deus, qui est Ens perfectissimum, perficeretur. E. Intellectio Dei non est realiter distincta ab ejus intellectu, & consequenter nec Ideæ Divinæ, quæ consistunt in intellectibus Divinis, ab intellectu Divino erunt realiter distinctæ. *Major probatur.* Actus perfectivus immanens de novo productus perficit subjectum in quo recipitur. O. intellectio realiter distincta ab intellectu est actus perfectivus immanens de novo productus. E. Intellectio realiter distincta ab intellectu, perficit intellectum in quo recipitur. (2) Qu. formaliter est in Deo, illud est ipse Deus, & consequenter non differt ab intellectu & Essentia Divina. Atqui Ideæ Divinæ sunt formaliter in DEO. E. Ideæ Divinæ sunt ipse Deus & consequenter non differunt ab intellectu & Essentia Divina. *Majorem ut certam suppono. Minorem probo.* Intellectiones Divinæ sunt formaliter in DEO, quia Deum intrinsece denominant intelligentem. Ideæ Divinæ sunt

sunt nihil aliud à parte rei quam intellectiones. E. Ideæ quoque in Deo erunt formaliter.

§. 50. Tandem si Ideæ Divinæ ab Essentia & Intellectu Dei realiter differrent, tunc essent quid creati, quod tamen rectæ rationi repugnat, & hæresi subiacet. Innocentius enim III. Papa Romanus circa Annum 1216. in Laterano damnavit Almerici Dogma (qui postmodum Parisiis cum sectatoribus suis Librisque Metaphysicorum Aristotelis publice exustus est) quo docuit, Ideas in Mente Divina creari. Recte itaque statuitur Ideas Divinas ab ipso Deo realiter non differre, sed esse ipsam essentiam Divinam. Quoniam autem Propositio hæc; Ideæ Divinæ sunt substantia seu Essentia Divina, duplici sensu intelligi potest (1) in sensu identico (2) in sensu formali, ideo videndum quo sensu ea sit vera. Sensus identicus infert propositionibus talem identitatem, qua prædicatum à subjecto quoad rem non distinguitur, quamvis adhuc ratione distinguatur. Sensus vero formalis ponit Propositionibus ejusmodi identitatem, qua prædicata nec secundum rem, nec secundum rationem à subjectis differunt. **Applico:** In sensu Identico vera est Propositio hæc: Ideæ Divinæ sunt Essentia Divina. In sensu vero formali eam procedere vix arbitror. Quoad rem enim Ideæ Divinæ non differunt ab Essentia, ut probatum fuit, quæ identitas à parte rei sita ad sensum identicum fundandum vere sufficit. Hac tamen identitate non obstante Ideæ Divinæ ratione distinguuntur ab Essentia Divina, quod probo ita: (1) Quorum unum ratio nostra concipit ut Principium Repræsentativum Quod, alterum ut repræsentativum Quo, illa si non realiter, ratione tamen distinguuntur. Atqui Essentiam Divinam ratio nostra concipit ut Principium repræsentativum Quod, Ideam vero Divinam ut repræsentativum Quo. Essentia enim Divina est *Quæ* repræsentat rem quamlibet mediante idea. E. Essentia Divina & Ideæ Divinæ, quia non realiter, ratione tamen distinguuntur. (2) Quicquid est intellectio Divina actualis, illud ab Essentia Divina ratione distinguitur. Quælibet Idea Divina est intellectio actualis Divina, E. Quælibet idea Divina distinguitur ratione ab Essentia Divina. *Minor* est ex antea dictis clara. *Major* probatur. Quia intellectio Di-

vina actualis & Essentia Divina differunt ut Quod & Quo. Essentia est id quod intelligit, intellectio est id quo intelligitur. Quæ autem differunt ut Quod & ut Quo, illa, ut modo dictum, si non realiter tamen ratione distinguuntur.

§. 51. Hæc assignata rationis distinctio nullam nec in essentia Divina, nec in Ideis Divinis secum trahit imperfectionem: In Deo enim nullam dependentiæ realis, nullam prioritatis realis, nullam passivæ potentiæ rationem involvit. Nec est quod quis dicat: Si distinctio & compositio rationis datur inter Ideas Divinas & Essentiam Divinam, aut Deo addet imperfectionem, aut perfectionem aut plane nihil. Si nihil, quid opus est, ut eam fingamus. Si perfectionem. E. Deus aliunde perficietur, & cessabit esse actus purissimus, imo desinet esse Deus. Si imperfectionem. E. Enti perfectissimo imperfectionis maculæ inrentur, quod absurdum. E. Illa distinctio & rationis compositio in Deo ex Essentia & Ideis non erit admittenda. Resp. Hæc rationis compositio & distinctio Deo nihil addit, opus tamen habemus ea partim ob eminentissimam Dei Essentiam, quam non nisi inadæquate concipere possumus, partim ob debilem & cœcutientis nostri intellectus concipiendi & intelligendi modum, qui objectum simplicissime unum, uno simplici actu exhaurire nequit, sed circa illud pluribus utitur intelligendi actibus, pluribusque conceptibus formalibus, ex quibus distinctio rationis (non tamen exclusâ connotatorum diversitate) suos trahit ortus.

§. 52. Ex his non erit difficile judicare de pluralitate Idearum Divinarum, adhibito præterea hoc diverso considerandi modo. Ideæ Divinæ considerantur vel ratione objectorum extra Deum existentium & mediantibus ideis in intellectu Divino repræsentatorum, vel considerantur in se ut sunt actus formales intellectus Divini: Aut quod ad idem recidere arbitror. Ideæ Divinæ sumuntur vel connotative vel entitative. Si Ideæ Divinæ connotative & ratione objectorum accipiuntur, tunc eas multiplices esse assero. Sunt enim multiplicia ideata extra Deum, quæ ab ideis repræsentantur. Si vero sumuntur entitative & in se, pluralitas aut multiplicitas idearum Divinarum conce-

F di

di plane non poterit. Actus enim intellectus Divini semper est ac manet simplicissimus, licet plurium objectorum extra Deum in creaturis repertorum sit idea seu exemplar. Non itaque est alius actus intellectus quo Deus repræsentat substantiam, & alius, quo repræsentat accidentia. Sed unus idemque actus est in Deo, quo repræsentat in infinito suo intellectu hæc omnia. Actus autem ille nihil est aliud, quam ipsa essentia Dei per modum actus vitalis concepta. Unde sicut D E I Essentia est unica, sic quoque hic actus intellectus idealis & repræsentativus est in se unicus.

§. 53. Antequam calamum seponam, de Platonicis Ideis paucula hæc annectere lubet: Divinus Plato summum Bonum in idearum contemplatione posuisse dicitur. Attamen quæ de Ideis ejus fuerit mens, non satis in liquido est positum. Aristoteles ejus discipulus ipsi tribuit sententiam non ita solidam, ut fuse diduxit Fonseca. L. 7. Met. C. 8. q. 2. f. 1. ut & Gisb. ab Isehdorn. Ethic. Perip. L. 1. C. 2. q. 7. Alii tamen, inter quos est Javellus, Aristotelem non solum de ingrati animi vitio, sed & palmari mendacio reum agunt & contendunt; Platonem cum Boni formam, tum cæterarum rerum omnium Ideas & Exemplaria in Deo posuisse, adeoque summum Bonum in Idearum contemplatione i. e. in Dei cognitione conjuncta cum ejusdem amore possessione & fruitione collocasse. Quod si vere Plato sensit, sententia ejus non modo non reprehendenda, verum etiam laudanda potius, & tanquam ultimæ Christianorum spei maxime consentanea, cum admiratione suscipienda erit.

§. 54. Consideratis Ideis Divinis constitueram aliquanto plura, sed chartæ angustia jubet pauciora, dicere de Idearum Divinarum correlato in rebus ipsis. Omnia enim existentia sunt conformia Ideis in mente Divina. Nam quoniam Deus in se habet ideas omnium rerum, sive illæ habeant causam efficientem, sive non: Hinc illius rei, quæ non est producta per veram efficientiam, idea in Mente Divina existens speculative tantum repræsentat rem, sicut ea à parte rei se habet, ut adeo in re repræsentata sit conformitas cum idea in mente Divina speculative repræsentante. Illarum vero rerum, quæ per veram actionem produ-

du-

ductæ sunt, aut produci possunt, ideæ in mente Divina existentes practice repræsentant res tanquam rationes causandi intellectuales ipsarum rerum. Quæ repræsentatio practica citra dubium tendet ad ipsas res, sicut se juxta Divinum intellectum mensurantem vel habent vel habituræ sunt. Ex quo proclivi fluit sequela, res ipsas practice repræsentatas habere conformitatem cum ideis suis practice repræsentantibus in mente Divina. Argumentum est tale: Quæcunque ideæ repræsentant res sicut sunt, illis ideis res repræsentatæ sunt conformes. Atqui ideæ Divinæ repræsentant res omnes existentes sicut sunt. E. Ideis Divinis res omnes repræsentatæ sunt conformes.

§. 55. Sed quid nunc de hac *conformitate* rerum cum Ideis Divinis sentiendum? Annon poterit dici *Affectio Entis simplex*? Si cui affirmativa placuerit, is eam non difficulter ita probabit: Qu. Non est primus conceptus Entis, sed ex eo fluit, ita ut simpliciter & solitarie de Ente prædicetur & absque disjunctione cum Ente reciprocetur, illud est affectio Entis simplex. Atqui conformitas rerum cum ideis in mente Divina non est primus conceptus Entis, sed ex eo fluit, ita ut simpliciter & solitarie de Ente prædicetur, & absque disjunctione cum Ente reciprocetur. E. Conformitas rerum cum ideis in mente Divina est affectio Entis simplex. *Major* est evidens ex Definitione affectionis simplicis. *Minor* probatur per singula membra. *Dicitur* (1) *Conformitas rerum cum ideis in mente Divina non est primus rerum conceptus, sed ex primo fluit.* Hic prænotandum, quod nos in qualibet re etiam simplicissimâ intelligendâ, ut imbecillitati nostræ in modo cognoscendi radicatæ succurramus, formemus distinctos conceptus in ipsa re, citra ejus tamen distinctionem realem, fundatos. Ab his conceptibus, certo ordine à nobis distinctis, rei, quæ intellectui nostro cognoscenti objicitur, attribuimus diversa prædicata, quorum alterum præ altero, quoad nostrum concipiendi modum, aliqua prioritate gaudet: Ita ut plura ejusmodi prædicata & conceptus rei, cujus sunt prædicata à nobis apprehensa, non æque primo secundum nostram intelligendi rationem competant, quamvis eodem modo ipsi insint quoad rem. Hi conceptus differunt in hoc: Ille conceptus, quo prior in re

dari non potest, & cujus non datur ratio à priori dicitur Essentia seu conceptus primus. Illi vero conceptus, quibus prior in re datur, & quorum ratio à priori, per quam de subjecto demonstratur, dari potest, dicuntur Conceptus Secundarii seu Attribute. His præsuppositis probo, quod conformitas rerum cum ideis in mente Divina non sit primus rerum conceptus: Cujus conceptus in re potest dari ratio à priori, ille non est primus sed ex primo fluit. Atqui conformitatis rerum cum Ideis in Divina Mente potest in rebus dari ratio à priori, & conformitas rerum cum Ideis in Mente Divina non est primus rerum conceptus, sed ex primo fluit. Minor probatur. Prius concipio in Ente quod existat, quam quod sit conforme cum conceptu Divino. Prius etiam concipio quod sit aptum referri ad ideas Divinas & Divinam cognitionem terminare. Si proinde quis quærat, cur hoc Ens sit conforme Ideæ Divinæ? Respondeo, quia existit cum aptitudine relativa ad intellectus Divini ideas. Existencia itaque est in Ente primus conceptus & consequenter Essentia Entis, ex quo primo non realiter sed quoad nostrum concipiendi modum fluit hæc conformitas tanquam Conceptus secundarius seu Affectio Entis. Dicitur (2) quod conformitas cum Ideis Divinis solitarie & simpliciter de Ente prædicetur & absque disjunctione cum Ente reciprocetur, quod cuilibet probe ponderanti ad oculos fere patet. O. enim Ens est conforme Ideis Divinis seu Practicis seu speculativis. Et quodcunque positive est conforme Ideis Divinis, illud est Ens. Quia itaque conformitas hæc non est primus conceptus Entis, & tamen de Ente simpliciter prædicatur, simpliciterque cum eo recurrit, ideo est affectio Entis simplex.

§. 56. Nunc si Conformitas rerum cum Ideis Divinis est affectio Entis simplex, aut erit peculiaris & à reliquis unitis affectionibus distincta affectio, aut ad quandam ex unitis erit referenda. Cum autem Affectiones Entis Metaphysici sibi sine necessitate multiplicari non sinant, & cum sine causa Veneranda Antiquitas non sit deferenda: Juvandi enim, ut dici solet, sunt potius, quam de ponte de jiciendi senes. Ideo non facile quempiam reperiri putarim, qui hanc Conformitatem plane distinctam à reliquis Unitis facturus sit Affectionem. Si itaque referen-

ren-

renda est ad aliquam ex Unitis Affectionibus, ad primarias aut secundarias erit reducenda. Non ad Secundarias, Durationem nempe & Ubietatem, quod manifestum, E. ad Primarias. Non autem hæc Conformitas est Unitas, utpote quæ dicit indivisionem Entis in se, quam hæc Conformitas formaliter non involvit. Nec est bonitas respectively sumta. Quamvis enim hæc etiam sit conformitas, non tamen dicit respectum ad intellectum, sed voluntatem Dei. Nec est Perfectio seu Bonitas absolute sumta, utpote quæ notat indefectionem Entis in Essentia. E. remanet hanc Conformitatem cum Intellectus Divini Ideis esse Veritatem. Cui sententiæ, eo proclivius accedo, quo magis invenio hæc in mente fuisse Scholasticorum Antesignanum Thomam, qui L. I. contra Gentes simul cum Avic. Met. c. 60. dicit: Veritas est proprietas uniuscujusque rei, in quantum propriam sui rationem, quæ est in mente Divina imitatur. Si itaque Veritas Metaphysica seu in essendo, prout à veritate Logica, Ethica, itemque à Veritate in significando & cognoscendo, eaque vel judicativa vel apprehensiva distinguitur, formaliter & in ultima sua abstractione sit definienda, Limites erunt formandi ita: *Veritas est conformitas rei cum idea sui in intellectu Divino*

§. 57. Ne autem hæc in re, contra Nostros celeberrimos Philosophos disputare videar, idcirco distinguo ita: *Veritas datur (1) fundamentaliter talis & est aptitudo rei terminandi de se veram cognitionem seu in mente Creatæ seu Increatæ. Hanc Nostros laudatissimi Metaphysici ut plurimum attendunt, (2) datur Veritas formaliter, per se & primario talis. Et hæc est conformitas rerum cum Divini intellectus Ideis. Quia enim in DEO datur Cognitio omnium perfectissima, ad res omnes, non ex Accidente, sed per se & adæquatè terminata, ideo quoque rerum cum Divina cognitione actualis Conformitas, quæ in aptitudine terminandi veram Cognitionem divinam fundatur, erit Veritas primo & per se talis (3) datur Veritas ex Accidente, consequenter & inadæquate talis, quæ consistit in Conformitate rei cum intellectu Creato, seu ille componat componenda, seu dividat dividenda; Unde est Veritas absolute denominativa, seu simpliciter rem apprehendat ut est, unde fuit Veritas, cum apposito*

denominativa. Quod hæc Veritas sit (α) ex Accidente, (β) consequenter, & (γ) inadæquate talis, ostendo ita: (α) rebus Creatis accidit, quod cognoscantur ab intellectu Creato, & quod conformentur conceptui, quem de tali vel tali re habet Intellectus Creatus. Possent Angeli & homines cum suis Intellectibus à DEO destitui, aut saltim cohiberi à DEO à cognitione rerum: Ubi tunc actualis conformitas rerum cum Intellectu Creato? Nuspiam, nuspiam. E. ex accidenti hæc Conformitas rebus competit. (β) Conceptus, per quos Intellectus Creatus habet veritatē, dependent ab ipsis rebus, antea vel manu ductione magis periti, vel alia quadam ratione cognitisi, ut vere talibus. Antecedenter itaque res est vera, antequam ad Intellectum Creatum referatur. Postquam autem Conceptus in Intellectu Creato de re vera verus est formatus, tunc demum res similis proposita huic intellectui conformatur, hoc autem, quod tantum consequenter fiat est manifestum. (γ) quia res fere omnes sunt aptæ, ut possint modo veram, modo falsam sui cognitionem in Intellectu Creato terminare, idcirco huic duplici aptitudini respondebit quoque duplex Actus secundus, quorum alter compleat aptitudinem ad veram cognitionem, alter verò aptitudinem ad falsam cognitionem. Prior erit conformitas rei & Intellectus, & consequenter Veritas, posterior erit difformitas rei & Intellectus & consequenter Falsitas. Ex quo patet res non adæquate, ut veras & conformes referri ad Intellectum Creatum, sicut ad divinum referuntur, sed saltim inadæquate & partialiter, ut partim possint esse Intellectui Creato conformes, partim difformes. Adeo ut si hic Affectio Rerum constituenda sit in ordine ad Intellectum Creatum cognoscentem, ea non possit esse unita, sed disjuncta, ita, ut dicatur: Omne Ens est vel verum, i. e. Intellectui Creato conforme, vel falsum, i. e. Intellectui Creato difforme; & quicquid Intellectui Creato positive vel conforme vel difforme est, illud est Ens.

§. 58. Hæc exigua de Correlato Idearum Divinarum, pro Instituto nostro sufficiant nobis in præsentia. Argumentum de veritate peculiarem laborem sibi, propter Quæstionum & Controversiarum ibidem occurrentium fecunditatem, jure
me-

merito sibi vindicare posse videtur; in quo si DEO actionum nostrarum Moderatori ita visum fuerit, aliquando vires nostras tentabimus: Antequam finis imponatur, coronidis loco ex curioso Metaphysicæ alumno quærere lubet hocce. Quid Tibi videtur? An non potero dicere. O. Ens est vel Idea vel Ideatum, & quicquid est Idea vel Ideatum, illud est Ens? Sive ita. O. Ens est vel exemplar vel exemplatum, & quicquid est vel exemplar vel exemplatum, illud est Ens: Quid Tibi videtur?

An non habebis Novam Entis disjunctam Affectionem, quam quod sciam, antea non legisti? Sed

TERMINUS esto.

Summa PATRI Laus sit! CHRIS-
TO sit Gloria! Sancto
SPIRITUI sit non interitu-
rus Honor.

MANTISSA.

Vocum præcipue Hebraicarum, quibus res significantur, dantur idea in mente Divina. Ratio: Quia voces dependent in sua significatione præcipue à Deo huic & non alii rei, non plane tamen exclusa ratione inibi inexistente, tale vel tale nomen imponente, ita tamen ut si in alia re ratio nomini congrua quoque attendatur, idem illud nomen beneplacito imponentis accedente ad aliam rem denotandam adhiberi possit. Voces enim non sunt signa naturalia, sed ex institutione imponentis significantia, ut, si opus esset, fuscè probari posset. Impositio autem seu institu-
tio

tio vel est Divina vel Humana. Divina iterum vel est Me-
diata, quæ fit à Deo mediante creatura, vel est immedia-
ta, quæ fit à Deo absque interventu creaturæ. Ultramque
institutionem in primigenia ὀνομαθεσία à Deo adhibitam
fuisse nullus dubito. Mediatam cernimus, dum per A-
damum omnibus rebus convenientia nomina indita esse
legimus. Immediatam deprehendimus in operationi-
bus ante hominem productis suisque nominibus imme-
diatè à Deo insignitis inque ipso homine, qui antequam
productus esset jam tum אָדָם à Deo dictus erat.

Hic pietas & filialis observantia, qua Præceptorem
meum Plur. Rev. & Excell. Hundeshagen/ Log. & Met.
P. P. p. t. Decanum Spect. prosequor, me silentio non si-
nit præterire cruda & insulsa verba, quæ *M. Joh. Prætorius*,
P. L. C. in Hebraismo, ut vocat, Restituto per Notarjecun
in invento Literario Thesauro, insulse & ἀπαιδέως eru-
ctat. *Ψαδολόγ* & Alphetarius Thraso, qui insul-
sa quadam *μωρολογία* c. i. col. 13 probare præsumit, nemi-
nem hætenus alphabeti naturam novisse, ne dum alias
linguæ sacræ notiones (Attendite qui antehac vixistis &
adhuc vivitis Philologi & Theologi summi, quam insul-
se insulsus ille *Prætor* vos spernat!) se autem inventum
hoc habere, inter alia c. i. col. 7. ita loquitur: *Pergen-
dum est ad ejusmodi insulsam ἔ ἀπαιδέως ex γνώσει Ψαδο-
ύμω prolatam opinionem quasi nomen Adam quidvis signa-
re possit ἔ ejus notatio ex mera arbitraria impositione huma-
na dependeat.* Hujus opinionis Assertorem facit Virum
prælaudatum Excell. Dn. Hundeshagen. Eumq; in finem
integram Quæstionem, ex ipsius Quæstionum Physicarum
parte prima, quæ paginis 13. 14. 15. 16. legitur, de verbo ad
verbum adducit. Sed in hoc agit quod Disputatores in-
sulsi & ἀπαιδέως sibi hostem, ubi nullum inveniunt, fin-
gen-

gentes facere solent. In verbis enim HUNDESHAGII illa absurda, quæ autor somniculosus somniat, plane non leguntur. Nam contra §. 7. Quæstionis citatæ citra omne dubium calamum suum male sobrium strinxit Alphebetarius *Prætor*, in quo hæc continentur verba: *Falsum hic præsupponitur, quod scilicet in nominibus Ebraicis fuerit naturalis vis & efficacia ad significandas res & exprimendas earum naturas, quod nos negamus, existimantes, si nomina in se spectentur, potuisse quoque aliam rem hoc nomine indigitari, quod notat hanc rem e. g. Homo Ebr. dicitur* **אָדָם**. *Jam æque potuisset hoc vocabulum notare lapidem vel equum, vel bovem ac hominem. Videte nunc saniores & sinceritatis studiosiores, quomodo ψευδολόγῳ in-
sulse & ἀπειδείῳσ ignorancem Elenchi commiserit. Mens Excell. HUNDESHAGII est hæc: Vox **אָדָם** in se spectata potuisset æque notare lapidem vel equum vel bovem ac hominem, ita ut ad actualem alicujus ex his significatio-
nem autoritate imponentis fuisset opus, quæ tamen au-
toritas non in mera arbitraria impositione humana sed potius divina, utpote cum imponens fuisset Deus, sita quoque fuisset. *Prætorius* vero ματαιολόγῳ opinionem, quam DN. HUNDESHAGIO affingit, sibi fingit talem, quasi nomen Adam quidvis significare possit, & ejus notatio ex mera arbitraria impositione humana dependeat. Contra quem ponis hæc insulse *Prætori*? Ubi legis in Quæstione HUNDESHAGII integra, quam Tibi frivole impugnan-
dam sumis, assertum esse, notationem vocis **אָדָם** ex me-
ra arbitraria impositione humana dependere? Nunquam hæc Assertio Excell. HUNDESHAGIO in mentem venit, cur ergo tu, impudens ψευδολόγῳ hanc ipsi affingis? Nonne turpem agis Sophistam? Nonne crassa ignorance e-
lenchi laboras? Sume helleborum & purge caput! Com-*

para collyrium, ne ulterius ollas & cucurbitas lippias & bene dictis absurdam mentem affingas. Memor esse debes tui ipsius moniti, quod Col. 10. c. 1. ponis. Scrutari debemus subtilius, quam ita crasse refutare. Sed haecenus fatis! Nobis enim impræsentiarum sufficit in transitu saltem ostendisse *Prætorium* vel mentem Excell. HUNDESHAGII non percepisse, vel malitiose pervertisse. De aliis partim Disputabilibus, partim in insulsa & ἀπαιδείας prolata *Prætorii* Refutatione absurde dictis hic nihil, pro ratione instituti nostri, dicimus.

Per-Eximio atq; Literatissimo

DN. JOH. ABRAHAMO POSSELTO,
Phil. & SS. Theol. Stud. industrio

Amico meo dilecto

publice disputaturo

Sub P R Æ S I D I O

Clarissimi

DN. M. JOH. ADOLFI FRONII,
Civis mei honorandi,

felices successus precatur

JOH. CHRISTOPH. Hundeshagen/
SS. Theol. Lic. Log. & Metaph. P. P.
p. t. Decanus.

★ ★ ★
C Onfendis cathedram; docto bene disse-
ris ausu.

Egregiæ præsens gratulor Artis opus.

En-

ENthea signa DEI, Posselte polite, recludis.
Sic è terreno suspicis astra solo.

Optimus hic labor est : Pulcre sic itur ad astra.

Sic Te sublimem vivida penna levat.

Neve minor labor est insulsa retundere verba :

Hoc facis egregiis nisibus arte valens.

Grator utrumque Tibi, votoque futura sacrato

Ex animo puro splendidiora precor.

*Hæc pauca clare docto & Politissimo Dn. POSSELTŌ;
Domino Fautori & Amico meo sincero
scribere debui*

M. Joh. Adolf. Fronius, Mülh.

GRatia Sancta Tibi, scansuro rostra sophorum
Numinis adsistat! quo bene cedat opus.

Infucata amicitia testanda gratiâ f.

**Gothofredus Christianus à Sanctisch/
Zitt. Lus. SS. Theol. Stud.**

Dum circumvolitas Heliconis roscida thyma,
Ubere quæ præbet terra Salana potens;

Dumque ideas formas animo, quo pura Sophiæ

Mella tuis possis digerere arte favis;

Ipse DEI qua cuncta fluant ratione supremi

Tradis ad exemplar, quæ speciesve fiet.

Exprimis ingenium tentans ostendere *Ideas*

Divinas, doctis spemque animumque viris.

Gratulor hoc specimen, Divinum Numen ab alto

Mente tibi præsit, cœpta secundet ope.

*Hæc Veteri Dn. Contubernali, Fautori & Amico
amatem colendo gratulaturus scrib.*

**Christophorus Francke/Burgtorpio-Lü-
neburg. Phil. & SS. Theol. Studiosus.**

Quelle sovrane Idee, che ci presenti
Nelle tue poche, mà ben dotte carte,
Del sol eterno son raggi lucenti,
In cui gli occhi fissar non è d' ogn' arte,
Ma ciò si serba sol à gli eminenti
Sguardi d' un' Aquila, che da quì parte,
Per inalzarsi sù quest' emisfero,
E coronar d' alloro il suo pensiero.

*Si rallegra del preseni' effercitio col signor Rispondente,
Germano suo diletissimo,*

Giovanni Henrico Posselto,
Stud. nelle leggi.

Wenn uns ein guter Baum will edle Früchte bringen/
So zeigt er zuvor der Blüthen Liebligheit/
Und will die schönste Blum aus ihrer Knospe dringen/
So geht sie nicht vorbei die süsse Frühlings - Zeit/
Du läst/ mein werther Freund/ der Weisheit Blüthe sehen/
Da noch der Jugend May aus allen Gliedern lacht;
Drum wird auch dermahleins gewißlichen geschehen/
Daß stets der edlen Frucht wird werden nachgewacht.
Dieses wolte aus obliegender Schuldigkeit sei-
nem werthgeschäktem Freunde und Herrn
Landsmanne hinzusetzen

Gottfried Richter / Medic. Stud.

Undique dum sævi facies moestissima belli,
Ardet, & infestos miles oberrat agros,
Ipse etiam, miles, docto certamine bellum
At sine cæde tamen, suavis amice moves.
Gratulor hos igitur conatus; fortiter insta!
Sic doctum ferro cinget Apollo caput.

His Dn. Respondenti, Fautori & condomestico suo, gratif.

Joh. Arend Francke / Burgtorpio-
Lüneb. Phil. Stud.





